

stra, 11° 48'', ad summum in scrupulis secundis 12''; existente nimirū in Perigæo loco Terræ viciniori, ubi aliùs maximus, quām unquam fieri potest, affulget.

Demirabuntur quidem plurimi, etiam ipsi Mathematici, Mercurium adeò admiranda parvitate nobis apparuisse, imò etiam longè minorem, quām Gasendus anno 1631 cum observavit. Sed quicquid sit, nihilominus securos esse velim omnes de hac nostra observatione: res namque omnino se se ita habuit, illum, ut modo diximus, non excedisse $\frac{1}{10}$ partem diametri Solaris, hoc est 11° 48''. Atverò, unde Gasendus fuerit adductus, quod eum aliquantò majorem adumbraverit, & esse etiam crediderit, sanè ignoro; nisi quod persuadear, cùm jam præconceptam in pectore foverit opinionem, Veterum placitis eò inductus, debere nimirū Mercurium necessariò multò majorem esse: ut ipse met ingenuè fatetur in sua dissertatione de Mercurio pag. 7: *Persuaderi* (inquit) *vix poteram ipsum esse Mercurium; adeò me expeditatio amplioris magnitudinis detinebat præoccupatum.* Hincq; facile fieri potuit, ut suis met oculis fidem denegaverit, tutiusque esse duxerit, in tanta enormi discrepancy, potius paululum in defectu, quām nimium in excessu, in re tam incredibili (ut ipsi forte tum videbatur) peccare; met tuens, quin ipsi Cultores Astronomiæ, nedium Sectæ Peripateticæ addicti fidem penitus derogent. Sic ut nullum omnino dubium apud me sit, Mercurium etiam eo tempore, haud extitisfe nostra determinatione majorem; dummodo observationi strictius adhæsisset, atque quantitatem illius, simili modo, ut nos fecimus, sapienter examinando, atque depictam maculam sub Corpore Mercurii collocando, & quidem in aliquanto ampliori Solis schemate, delineasset, neutiquam, crede, aberrare potuisse. At Gasendus diametrum Mercurii juxta sexagesimas partes, in quas diametrum Solarem divisorat dijudicavit, seu potius conjecturavit, ut p. 7, in suâ observatione liquet, quâ via nemo non observatorum facile decipitur.

*Vnde Gasen-
dus Mercu-
rium aliquā-
tio majorem
exhibuerit.*

*Diversa ob-
servandi ra-
tio Diametri
Mercurii
apparentem.*

*In Angliâ
Mercurius
quoq; in Sole
observatus.*

*Maximope-
rè conduit,
& alibi hunc
congressum
fuisse obser-
vatum.*

*Quanta dia-
meter Mer-
curii sit in
Perigao.*

*Quantam
Parallaxin
Solis, autor
statuat; &
quot Semid. T
Solem à Ter-
râ removeat.*

Opto animitus hanc conjunctionem simul ab aliis quibusdam alibi locorum, & quidem debite, & exquisitè animadversam esse; nullus dubito, quin mecum, omnia se se sic habuisse, deprehenderint. In Anglia quidem Londini, ut nuper percepit à Viris quibusdam Literatis, in primis Nobil: Christiano Hugenio Mercurius in disco Solis, Telescopio, hor. circuit. 2 post meridiem, atq; à limbo ortivo 3° 20" ferè distare visus est, quantum nudo oculò dijudicare concessum fuit; sed cum in camerâ obscuratâ haud fuerit tabellâ exceptus, nil quicquam certi de magnitudine corporis ejus, illis statuere licuit: id quod profectò dolendum; nihilominus tamen de hac observatione nobis maximoperè gratulamur, quod firmum possit dare testimonium de Mercurio, etiam alibi, quam hic Gedani, die 3 Maii post meridiem in Sole viso; sic ut sera quoque Posteritas, arctissimam hanc Solis & Mercurii Conjunctionem, nullo jure in dubium vocare queat.

Sed redeamus ad nostram observationem. Existente igitur Mercurio non nisi 11° 48" in perigao, tempore scilicet hujus observationis, facile etiam scire datur quātæ magnitudinis ejus diameter sit apparitura, tam in mediâ, quam in maxima ejus elongatione à Terrâ; dato videlicet Solis à Terrâ intervallo. In hac autem distantia Astronomi minimè inter se conveniunt, sed singuli ferè peculiarem amplectuntur sententiam, alias alio Solem plus plusq; à Terrâ removet, prout majorem minoremve Solis constituunt parallaxin: de quibus autem hac vice plura attingere nolo (rejiciens ea & singula in Machinam nostrâ Cœlestem) nisi quod hoc loco solum apponamus nostram Solis parallaxin, nec non ejus à Terrâ distantiam.

Ex plurimis autem plurimorum annorum observationibus inveni parallaxin Solis longè adhuc esse minorem eâ, quam Keplerus supposuit unius esse scrupuli primi; in minima videlicet distantia tantum 40° 44", in

media, $40''$ $0'''$, & in maxima $39''$ $17'''$: unde intervallum ipsum Solis à Terra prodit minimum 5064, medium 5127 & maximum 5250 Semid. Terræ; sicq; distantia Mercurii minima 2642, media 5157, & maxima 7671 S. Terræ. Quas tamen Mercurii remotiones hâc vice vix pro genuinis agnosco, quoniam eas adeò scrupulosè inquirere nondum concessum fuit; sed quicquid sit, etiamsi aliqua corre^tione fortassis indigeant, huic negotio tamē in determinatione diametri Mercurii nihil prorsùs detrahent. Proinde, bene sic exploratis distantiis Solis à Terra, tum suppositis intervallis Mercurii à Terra, sequitur diametrū Mercurii apparentem in Apogæo $4''$ $4'''$, in media dist. $6''$ $3'''$, atq; in Perigæo, ut diximus, $11''$ $48'''$ videri. Quod si autem amplitudinem orbis Mercurii secundūm Keplерum, sive Tychonem & Ricciolum supponas, diameter Mercurii paulò quidem major, sed tantummodo in scrupulis tertiiis elicetur, quod nullius est momenti.

Atq; ita Mercurius, ex hac nostra observatione, profetò multò minor prodit, quàm unquam Anteriores, tum Recentiores sibi imaginarunt. Quandoquidem Albategnius & Ptolemæus Mercurii diametrum in media dist. statuerunt $2'$ $8''$; Copernicus $2'$ $12''$; Tycho $2'$ $10''$; Keplerus $1'$ $28''$; Lansbergius $2'$ $0''$; atq; Ricciolus, licet ad mentē Gaslendi tantūm $14''$ illam constituat; nihilo seciùs tamen plūs quàm dimidia parte nobis reverà minor existit; dum in eadem media distantia tantum est $6''$ $3'''$.

Cùm igitur diameter apprens Mercurii juxta dictorum Auctorum opiniones admodùm sit diversa, fieri a litter haud potest, quàm quòd etiam Mercurii diameter vera, alia atq; alia prodeat, tum circumferentia ejus disci circularis, proportio diametri terrenæ ad diametrū Mercurii, area ejus circuli maximi, superficies globi convexa, soliditas corporis, nec non ratio soliditatis globi terreni, ad soliditatem globi Mercurii: quæ omnia juxta quosvis Autores in annexam retuli tabellam, quò statim primò intuitu cuivis pateat differentia.

*Genuina di-
ametri Mer-
curii magni-
tudo in me-
diâ & maxi-
mâ à Terrâ
remotione.*

*Ex hâc no-
strâ observa-
tione dia-
meter Mercurii
omnium mi-
nima prodit.*

*De verâ
Mercurii di-
ametro.*

Aus

| <i>Astrores.</i> | <i>Diameter ♀ vera in Mill. Germ.</i> | <i>Circumfe- rentia disci circul. ♀</i> | <i>Area circu- li maximi in Mill. Germ.</i> | <i>Superficies ♀ globi cō- vexa in Mill. Germ</i> | <i>Soliditas Corpo- ris ♀ in Mill. Germ.</i> | <i>Ratio solidi- tatis globi terreni ad solidit. ♀</i> |
|---------------------------|---|---|---|---|--|--|
| <i>Albat. & Ptol.</i> | 62 | 195 | 3012 | 12048 | 124400 | 21400 1 |
| <i>Copernicus</i> | 623 | 1958 | 305200 | 1220300 | 126900000 | 20 1 |
| <i>Tycho Brahe.</i> | 623 | 1958 | 305200 | 1220800 | 126900000 | 20 1 |
| <i>Keplerus</i> | 1252 | 3932 | 1230000 | 4920000 | 1033000000 | 2 $\frac{1}{2}$ 1 |
| <i>Ricciolus</i> | 436 | 1370 | 149500 | 598000 | 43460000 | 62 1 |
| <i>Hevelius.</i> | 130 | 409 | 13260 | 53040 | 1149200 | 2315 1 |

*Ratio Mer-
curii ad Ter-
ram.*

Manifestum itaque est, ex nostrâ observatione Mercurium omnium esse minimum; adeò ut proportio diametri terreni ad diametrum Mercurii tantùm sit, ut 1 ad 13; & ratio soliditatis Mercurii, ad soliditatem terram ut 2315 ad 1: id quod immane quantum à Veterum discrepat opinionibus, cùm Mercurius nobis sit bis millies trecenties & ampliùs Terrâ minor. Antiquiores quidem, utpote Albategnius & Ptolemæus, soliditatem longè quidem adhuc minorem exhibent, nimirùm ut 21400 ad 1; sed id nonnisi ex eorum nimis vicinâ & erroneâ Mercurii à Terrâ distantiâ 115 Semid. T. originem trahit.

*Ratio Mer-
curii ad Soli.*

Respectu Solis verò corpusculum hocce Mercurii longè adhuc existit minus. Tycho diametrum Mercurii $\frac{1}{14}$ part. diametri Solaris esse autūmat; Lansbergius $\frac{1}{15}$, quantum ferè Alpharabius; nos verò ex observatione didicimus non nisi Mercurii diametrum ad Solis esse ut 1 ad 160. Hincque ex nostrâ hypothesi, in quâ Solem à Terrâ in mediâ elongatione removemus 5127 S. T., sequitur Mercurium tantùm esse $\frac{1}{1756700}$ disci Solaris, & ratione soliditatis ad soliditatem Solis, ut 1 ad 31756700. Vides ergo Mercurii exiguum omnino corpusculum esse, imò longè adhuc minus, quam Gassendus ex suâ observatione unquam crediderit; qui cum censet tantùm esse 7 vel 8000 part. disci Solaris.

*Nudo oculo
Mercurius
interdum Io-
vem aequat.*

Interea tamen quoad nudum visum Mercurius satis videtur magnus; sic ut nonnunquam etiam Jovem penitus aequat. Memini enim me aliquando, cùm arcte es-
sent

fent conjuncti, ac horizonti propinqui, Jovem primâ fronte pro Mercurio arripuerim : verum h̄ic non est nobis sermo, quando Mercurius radiis involutus lucet. adventitiis, sed quando veram magnitudinem omnibus radiis spuriis omnino exutam exhibet ; ut in h̄ac nostra observatione in disco Solari obtigit.

Ex quibus neminem non tam Philosophorum, quām Astronomorum clam esse potest, corpora ætherea incomparabiliter esse profecto minora, quām Peripatetici hactenus declamarunt, posito etiam Solem adeò longissimè, ad 5000 S. T., removemus ; cùm à Veteribus & Tychonicis vix 1200 S. T. distare habetur ; in quā, sanè, distantia viciniori Mercurius longè adhuc minor evaderet. Evanescit igitur illud argumentum, contra mobilitatem Terræ, ab immensâ istâ vastitate corporum Cœlestium de promtum ; de quibus mox mox plura, quando de aliorum Planetarum veris magnitudinibus agetur : ad quod feliciter suscipiendum, non solum Mercurius noster nobis ansam præbet, sed simul media infallibilia suppeditat, sine quibus, nequaquam negotium istud succederet.

Antequam autem eò deveniamus, jure h̄ic primū quæritur, utrū etiam Mercurii diameter reverà tantæ parvitatis extiterit, quantæ nobis in disco Solari exhibita fuerit, hoc est 11° 48''? Solertissimus quidem Schickardus, in eâ omnino hæsit opinione, sicut ex suâ dissertatione Mercurii videre est, ac si in observatione Gasendi, apparitionem Mercurii infrà justam fuisse diminutam. Ac primò ; quod ob proprietatem lucis, obscurum corpus undique se dilatare soleat, si oculos in eam dirigamus ; sicuti exemplo ostendit candelæ, & baculi ei obtenti, ubi lux flammæ utrinque se insinuans offert oculis baculum eâ parte multò tenuiorem, quām partibus aliis ab utroque flammæ latere ; atque exinde concludit, diametrum Mercurii minimum 20" eo tempore extitis-

Corpora ætherea longè sunt minora, etiam ex nostrâ amplissimâ hypothesi, quam quidem Peripatetici existimant.

An Mercurius reverà etiam tanta extiterit parvitas?

Dubitatur.

Prima ratiō,

Secunda rati-
o.

Tertia rati-
o.

se ampliorem, quām Gassendo in observatione visus fūerit. Secundo; ex eo quoque, quōd corpora Planetarum incrusteda sint, ac in meditullio nucleos tantūm opacos habeant; hincque accidere, ut aliquantō minora necessariō appareant. Tertiō; Cūm corpus Mercurii longē sit minus corpore Solis, utique umbra Mercurii plūs debito coarctatur, quām reverā est. Majus enim corpus illuminans, plūs quam dimidiā partem illuminati corporis illustrat; docente Opticā.

Primam & secundam rationem quod spectat Schickardi, quoniam ad illas Hortensius in sua dissertatione de Mercurio in Sole viso, aliique plenē omnino responderunt, atque ego gravioribus negotiis urgari, nolo amplius quicquam hīc superaddere, sed lectorem eō remitto. Ultima verò ratio, cūm videatur satis splendida, pariter, ut Hortensius ex Gassendi, sic ex hāc nostrā observatione clare per calculum deducamus, an, & quantum Mercurius, ob majorem Solis magnitudinem, in perigæo extiterit major, quām nobis apparuerit? Atque hoc ipsum, ex nostrā quidem hypothesi investigatum eamus, quæ Solem multō remotiorem, quām Tychonica supponit: rationem verò ea omnia eruendi, quam Hortensius ibidem adhibuit, eandem retinentes.

Schemate &
calculo deduci-
tur; nūrūm
Mercurio
quicquam de-
cedat, ratione
corporis illu-
minantis ma-
joris.

Sit in præcedente figurā minore, A Sol, B corpus Mercurii, A D semidiameter Solis, juxta nostrā hypothesin 20575 Mill. Germ., semidiameter Mercurii B L sive BE 65 Mill. Germ., distantia Mercurii à Sole 2422 S. T. seu Mill. Germ. 2082920. Deinde ducatur recta ex A, per centrum Mercurii ad F, item contingens DE. F, CB parallela cum DE; sicque CD æqualis erit BE, & EO I perpendicularis ad AF. Cūm itaque linea DEF circulum tangit in E, illuminatur pars Mercurii à nobis aversa E SI supra medietatem, eritque E Y I pars illa obscura, quæ nobis se se conspicientiam præbuit, atque excessus dimidiæ illustrationis SE ultra quadrantem

SL,

S L, in arcu L E, cui æquatur angulus A B C. Angulus enim A B L rectus est, nec non angulus C B E, ablato communi C B L, restant æquales L B E & A B C. Invento igitur angulo A B C, habes etiam angulum L B E, qui subtractus à quadrante L Y, remanet Y E, sive angulus Y B E. Ex hoc, & B E semid. Mercurii 95 Mill. Germ. invenitur sinus rectus E O, nimirùm semid. apparens diminuta; quæ si subtrahatur ab observata $11'' 45''$, habebimus differentiam, si qua invenietur utriusque diametri. Et quidem hæc ratione:

| | | | |
|---|------|-------------------------------|---|
| A semid. | ○ AD | 20575 | |
| auf. semid. | ♀ BE | 65 | |
| Restat | AC | 20510 | Nam in triangulo rectangulo SCA, ut AS distans ♀ à ○ 2082920, |
| ad AC 20510, sic 100000 ad sinum anguli ASC 985 | | $0^{\circ} 33' 52''$ sive LBE | |
| | | 89 59 60 LBY | |
| | | 38 26 8 EBT | |

2. In triangulo BOE rectangulo; ut Sinus totus 100000 ad E O sinum anguli E BY 99995, sic BE semidiameter Mercurii 65 Mill. ad E O semid. appar. minutā $64 \frac{99675}{100000}$; sic ut E O ferè etiam tantæ sit magnitudinis, quantæ BL est observata. Quod si pars illa deficiens, ad scrupula secunda, sive tertia redigatur, hoc modo: 100000 exhibent $5'' 54''$ semid Mercurii observatam vel $354''$; quot producent 99675; proveniunt $353 \frac{1}{2}''$ major, ferè, nimirùm $5'' 53''$; adeò ut non nisi $2''$ integræ diametro observatæ accrescant; quæ autem differentia hic sanè omnino negligitur. Non solum enim hæc 2 scrupula tertia, sed & 10 alia gratis, lubensque concedam; quò diameter Mercurii sit in numeris rotundis & in Perigæo $12''$, in mediæ elongatione $6''$, & in Apogæo $4''$, paucis illis tertius prorsùs rejectis.

Hæc itaque vera & genuina Mercurii est diameter, juxta nostram observationem. Quam rectè & accurate exploratam tandem habere, pluris, profectò, interest, quam unquam illi, quibus res Cœlestes parùm curæ cordique sunt, sibi persuadebunt. Nam maximum, imò

Non nisi $2''$.
apparens
Mercurii di-
ameter exti-
tit observata
major.

Magnitudo
diametri
Mercurii, in
diversis à
Terrâ di-
stantiis.

*Exploratā
rectē Mercuriū diametro,
proclive est,
omnium Stellarum ac
Planetarum
investigare.*

*Quare Veteres in determinazione
diametrorum Siderum, o-
leum & operam perdi-
rint.*

*Recentiores
lumine adven-
tio Stellas
orbare nequi-
verunt.*

propemodūm omnium subtilissimum est, quod in Astronomiā adhuc restat investigandum. Exquisitè enim datā, ac determinatā Mercurii diametro apparente, omnium reliquorum Planetarum Fixarumq; dimetentes, quas omnes jam olim animitūs desiderarunt, cognoscuntur. Quemadmodum etiam nunquam non maximoperè allaborarunt, tum Veteres, tum Juniores, ut rem istam omnino rectē detergerent; sed Priscis illis Astronomis Corinthum adire non contigit, nec ipsi Tychoni, qualia qualia etiam possederint organa. Nam, cùm ad ea usque tempora, inventio, & usus Telescopiorum illos prorsū latuerit (quibus siquidem destitutis, frustrā res tentatur, ut ut omnem moveas lapidem) omnis eorum labor fuit planè irritus. Quadrantibus enim, Sextantibus, & Octantibus semper illas diametros plūs justo maiores invenerunt, præprimis cùm ne quidem ullam cognoverint rationem sideribus capillitium illud, & lumen adscititum detrahendi. Recentiores verò (cùm viderint cœlitū quasi dato nobilissimo illo Telescopio, posse Jovem crinibus spuriis spoliari) omnes ingenii vires, utpote Galilæus, præsertim Keplerus, & Lansbergius, aliquique permulti, intenderunt, quò hocce negotium perficere possent, sed pariter pro voto haud successit conatus. Quippe reliquorum Planetarum, nedum Fixarum radios adventitios abscindere, Tubi beneficio, instar Jovis, Lunæq; haud valuerunt, ut ut omnibus modis conati fuerint; quemadmodum ingenuè fatentur Galilæus in suo Nuncio Sidereo pag. 30, Keplerus, Herigonius lib. 2 Theor. Plan. pag. 619, Hortensius de Mercurio pag. 37, & 60: quorum verba in Prolegomenis Selenographiæ nostræ citavimus pag. 36.

Me verò quod attinet, cùm anno 1640, 41, & 42 observationibus Telescopiorum opere peragendis unicè inhiarem, nullum quoq; non movebam lapidem, quò radios illos stellarum vibrantes auferrem, easque rotundas omnino

omnino calvasq; deprehenderem; sed verum ut fatear, initio idem mihi obtigit, quod antedictis illis Præclarissimis Viris, & quovis etiam Tubospicio uterer, hirsutæ tamen semper comparebant. Interea tamen minimè animum abieci, sed sperabā posse nihilominus aliquando reperiri, quæ latuere Anteriores; & idcirkò institi proposito, sic ut, adjuvante Divino Numine, tandem etiam obtinuerim longè desideratissimum illud negotium: & quidem facillimā viā expediendum. Id quod, sanè, nemini, ut ut inventione modo detecta, res videatur jam leviuscula, eo usque erat compertum. Atque ita abstergbam feliciter omnes illos vibrantes radios, & adventitios, Stellis Planetisque adhærentes, contractiori vide-licet multò foramine, lenti convexo superimposito: quemadmodum fusiùs in Selenographiā pag. 37 descripsi, etiam amicis quibusdam, utpote Gassendo & Bullialdo anno 1643 ingenuè jam detexeram, sicut ex Epistolā Gassendi pag. 205 Oper. suorum percipere est.

Hæc radios spurios abstergendi, stellasque exactè rotundas conspicendi ratio, etiam iis, qui Uraniæ aliquantò operam dant impensiùs, haud displicuit; ut ex Riccioli Almagesto Lib. VII. Sect. VI. pag. 708, 715 & 716 in primis patet: sic ut deinceps etiam in dimetiendis Stellarum diametris nobiscum semper hucusq; tenuerint eam ipsam rationem, atq; convenientissimā quàm maximè esse duxerint; comparando nimirùm denudata Stellarum corpora, crinibus prorsùs orbata ad Lunæ Maculas, sicuti Cap. 55 Selenographiæ pag. 447 docuimus. Verùm, ut ut hæc methodo longè melius hocce negotium nobis succedat, quàm hactenus Prædecessoribus nostris, securiorq; via existat determinandi siderum dimentientes, attamen persuasus sum firmiter, posse suo tempore etiam adhuc alia fortassis excogitari methodus, quà exquisitiùs, sine dubio, peragi possent omnia. Et enim, cùm hocce negotium stellarum diametros, ex

*Autor inve
nit peculiare
modum, anno
1642, capil
litium Side
ribus detra
bendi.*

*Quæ ratio
etiam apud
Astronomos
hactenus fuit
in uisu.*

*Nondum sa
tis accuratè,
per maculas
Lunares di
judicantur
Stellarum di
ametri appa
rentes.*

maculis Lunaribus explorandi, præcipuè diametro Lunæ apparenti innitatur; illa autem hucusque non adeò exactè, ob varias difficultates, atque obstacula, ut quidem Solis determinata sit; accedit, quod facile etiam errare detur, in conferendo stellarum corpora ad maculas dictas Lunares. Hinc sanè constanter credidi, si adhuc semel Mercurius in Sole feliciter conficeretur (ut annuente Divino Numine nunc accidit) atq; ejus corpusculum, in Solis disco, satis superque jam cognito, exquisitè notaretur, procul omni dubio genuina Mercurii corporis magnitudo, exactè omnino; remotà omni suspitione, nobis innotesceret; sicque per consequens, hujus beneficio, etiam omnium reliquarum Stellarum ac Planetarum; ut minimè isthoc pacto opus sit amplius Maculis Lunaribus. Et quidem hâc ratione: si nimis in maximâ Mercurii à Sole elongatione, diameter Mercurii cum circumvicinis Stellis, Planetisque, beneficio Telescopii debito foramine armati, uti docuimus Cap. 3 Selenogr., conferreretur; potissimum cum variis generis descriptis circellis, atq; æqualem prorsùs corpori Mercurii eligendo, atq; assignando, simul alterius alicujus stellæ corpusculo, è ratione, animadverso. Nam, si quæ tunc æqualibus circellis comparari possent, omnino etiam ejusdem esse magnitudinis, Mercurioque pro sua à Terrâ distantiâ, haud esse illas Stellas majores, rectè concluderetur. Sin verò Stella, certâ quâdam ratione major, vel minor deprehenderetur, secundùm istam proportionem, inquam, etiam ista Stella existeret major, minorve: siquidem in tali judicio, quam inter se scilicet teneant Stellæ rationem, num alia aliâ duplo, vel triplo major, minorve existat, haud adeò facile fallimur. Sic ut hâc ratione nunc quasvis Stellarum diametros exquisitiùs, meo quidem judicio, quam hæc tenus explorari detur non multo labore; cumprimis si Stellarum magnitudines in sex solummodo classes, usitato

Quenam omnium sit certissima methodus apparentes Stellarum diametros determinandi.

sitato more, redigere animus est, res promptè expedie-
tur, cognitione magnitudinum sex tantùm diversarum
Stellarum.

Quò autem videoas, Benevole Lector, has minimè
esse inanes, & frivolas tantummodo cerebri speculatio-
nes; sed optimè etiam ea ad praxin deduci posse, brevi-
bus hic referam, quid nuper isthac ratione obtinuerim,
& quomodo pro voto successerint omnia. Die igitur
23, 24 & 26 Septembris st. n. hujus anni 1661, Mercurio
denuò in maxima elongatione, à Sole 18 propemodùm
gradibus, tempore matutino affulgente, simul tunc in
medià à Terra distantia existente, non solum locum ejus
Sextante, prout etiam ferè singulis istis diebus dimensi,
sed Telescopio quoque parvulo foramine armato (quò
Planeta spuriis suis radiis exueretur) quoad fieri potuit
accuratè, Mercurii corpus contemplati sumus. Atq; ita
discum ejus tunc satis rotundum, orbatum omnibus ad-
ventitiis, & vibrantibus radiis vidimus; sed haud majo-
rem, quoad diametrum circello quodam ex multis (quos
in laminâ orichalcica subtilissimè descriptos bene mul-
tos habebam numero 40; quorum major in diametro
172 part. minor verò 14 part. continebat) 56 partium;
id quod non solum unâ aut altera vice, sed multoties de-
prehendebatur. Quo obtento eodem tubo etiam illicò
Sirium tunc in vicinia adstantem excepimus; cuius di-
scus itidem nitidissimus, albicans & rotundissimus, sed a-
to omnino lumine apparebat; sed circello paullò majo-
ri partium videlicet 60, diameter ejus æquabatur. Hinc
ad Regel sinistrum pedem Orionis, & Capellam Tele-
scopium direximus, (respiciendo saepius ad Mercurium)
quarum diametros omnino Mercurio, ejusque circello
56 part. æquales conspeximus, atq; dijudicavimus omnes.
Regulus verò, seu Cor Leonis, etiamsi inter stellas pri-
mi honoris pariter numeretur, haud major videbatur cir-
cello 48 part. Id quod continua aliquot diebus, die
videlicet

*Modus iste
investigandi
Stellarū dia-
metros, quam
speculativus,
tam practi-
cus est.*

*Mercurius
in maxima
digressione à
Sole observa-
tus.*

*Proportio in-
ter Mercurij,
Sirij atq; al-
liarum stella-
rum dia-
metros.*

*Magnitudo
Reguli.*

videlicet 23, 24 & 26 Sept. tam proxima die ante, quām post maximam Mercurii à Sole digressionem, summa attentione, præsente Mercurio, tempore matutino tentavimus feliciter; sed semper eandem, quam diximus, inter se proportionem habere dictas Stellas experti sumus. Die verò 2 Octobris mane, Mercurio ad Apogæum plus plusque vergente, denuò ejus magnitudinem, tam ad circellos, quām cor Leonis exploravi; sed aliquantò jam minor videbatur; sic ut non nisi circello 50 part. æqualis esset, Regulo tamen adhuc aliquantulum major. Id quod sæpius, etiam adulto jam crepusculo animadvertisimus, & quidem elevato Mercurio supra horizontem 7 imò 8 grad., Sole verò non ultra 4 gradibus sub horizonte existente (de quo, sanè, miraberis, cùm Veteres hucusque arcum Mercurii visionis 10 grad. statuerint.) Distabat enim Mercurius ab ipso Sole tantum 14 gradibus eà die, secundùm longitudinem; in verticalli verò tantum 12° circ.; quā die etiam Sirium nudis pariter oculis, orto jam Sole, quod æque rarissimum, conspeximus. Dein, tempore quoq; vespertino, aliquoties ad nostros circellos, stellas quasdam diversæ magnitudinis, eàdem ratione, consideravimus, atque examinavimus, ut sic omnium magnitudinum diametros itidem rectè explorarem. Quibus circellis autem æquales, & quot partibus constare, ratione Mercurii reliquarumque stellarum, videbantur, subsequens exhibet tabella.

Jacto igitur hoc fundamento, atque accuratè cognitâ diametro Mercurii ex nostrâ observatione, in media scilicet à Terrâ distantia 6" 3" haud difficulter etiam omnino correctè reliquarum omnium Fixarum diametros obtinebimus, regulæ solummodo proportionum beneficio. Primò; quæcunque Stellæ, utpote Capella, Regel, Arcturus&c. Mercurio ratione circellarum prorsus æquales observantur, illæ etiam ratione diametri apparentis, inter se sunt æquales, & ejusdem magnitudinis;

Arcus Mercurii visionis longè minor est, quam Veteres existimavunt.

Sirius, orto Sole, nudis oculis visus est.

Quæ Stellæ Mercurio a quales extiterunt.

at Mer-

IN SOLE VISUS.

93

at Mercurius in mediâ distantiâ non nisi est $6''$ $3'''$, ergo etiam tantæ sunt magnitudinis dictæ Fixæ. At vero Sirii diametrum apparentem, cum illa aliquantò major, 60 scilicet part. existat, hâc ratione elicies. Quemadmodum 56 part. (quibus tum temporis constabat Mercurius) se habent ad ejus diametrum apparentem $6''$ $3'''$, id est $363'''$, sic 60 part. magnitudo Sirii, ad ejus dimetientem apparentem $6''$ $21'''$. Idem processus est, cum reliquis æthereis corporibus, quorum producta annexa commonstrat tabella.

Sirii magnitudo.

In quâ exhibentur; primò, Diametri Stellarum Fixarum apparentes, tam in partibus, ratione Mercurii & circellarum, quam in scrupulis; Secundò, Veræ diametri juxta Tychonem in milliaribus; secundùm verò nostram hypothesin in Semid. Terræ; Tertiò, Ratio soliditatis stellarum ad Terræ soliditatem, quantò nimirūm corpora illa Cœlestia, Terrâ, Sole & orbe magno sive majores, sive minores sint: assumptâ distantiâ Stellarum à centro Terræ juxta Tychonem 6310, atque Solis 1150; secundùm verò nostram opinionem, distantiâ fixarum 60022127 S.T. & semidiame-
tro Orbis 5127.

*Tabella, tam
apparentes,
quam veras
Fixarum di-
ametros ex-
hibens.*

M E R C U R I U S
Rationes Stellarum Fixarum ad Terram, Solem or-
bitamq; magnam Terræ.

| <i>Nomina Fixa- rum.</i> | <i>Ma- gnitu- do.</i> | <i>Quib⁹ circel- lis fue- rint & rū ap- quales pares. Part.</i> | <i>Di- meter mid. in Fixa mill.juxt. Tych. & S.T.juxt Part. se. ter. Auctore.</i> | <i>Vera Se- stelle ad solidita- tem Terra.</i> | <i>Ratio soliditatis orbis magni ad Stellas.</i> | <i>Ratio Stellarum ad Solem.</i> |
|-------------------------------|-------------------------------|---|---|--|--|--------------------------------------|
| Sirius | I | 60 6 21 | 82 T. 918 H. | 1000 Min. 773620632 Maj. | 216 Maj. | 125000 Min. 72653 Maj. |
| Lucida Lyrae | I | 58 6 16 | 82 T. 912 H. | 1000 Min. 758550528 Maj. | 216 Maj. | 125000 Min. 71239 Maj. |
| Regel Orionis | I | 56 6 3 | 79 T. 876 H. | 1331 Min. 672221376 Maj. | 216 Maj. | 166375 Min. 63131 Maj. |
| Capella | I | 56 6 3 | 79 T. 876 H. | 1331 Min. 672221376 Maj. | 216 Maj. | 166375 Min. 63131 Maj. |
| Arcturus | I | 56 6 3 | 79 T. 876 H. | 1331 Min. 672221376 Maj. | 216 Maj. | 166375 Min. 63131 Maj. |
| Palilicium | I | 52 5 37 | 74 T. 816 H. | 1728 Min. 541343375 Maj. | 216 Maj. | 167375 Min. 50838 Maj. |
| Spica | I | 50 5 24 | 71 T. 786 H. | 1728 Min. 485587656 Maj. | 343 Maj. | 216000 Min. 45603 Maj. |
| Regulus Leonis | I | 48 5 11 | 66 T. 726 H. | 2197 Min. 382657176 Maj. | 343 Maj. | 274625 Min. 35937 Maj. |
| Prima Caudæ ursæ Majoris. | 2 | 46 4 58 | 65 T. 720 H. | 2197 Min. 373248000 Maj. | 343 Maj. | 274625 Min. 35052 Maj. |
| Procyon | 2 | 46 4 58 | 65 T. 720 H. | 2197 Min. 373248000 Maj. | 343 Maj. | 274625 Min. 35052 Maj. |
| Lucida Coronæ | 2 | 42 4 32 | 59 T. 660 H. | 2744 Min. 287496000 Maj. | 512 Maj. | 343000 Min. 27000 Maj. |
| Caput Serpentarii | 2 | 42 4 32 | 59 T. 660 H. | 2744 Min. 287496000 Maj. | 512 Maj. | 343000 Min. 27000 Maj. |
| Lucida Arietis | 2 | 42 4 32 | 59 T. 660 H. | 2744 Min. 287496000 Maj. | 512 Maj. | 343000 Min. 27000 Maj. |
| Cingul. Orionis I. | 2 | 42 4 32 | 59 T. 660 H. | 2744 Min. 287496000 Maj. | 512 Maj. | 343000 Min. 27000 Maj. |
| Secunda Arietis | 3 | 35 3 47 | 49 T. 546 H. | 4913 Min. 162771336 Maj. | 729 Maj. | 614125 Min. 15285 Maj. |
| Tertia Arietis | 4 | 30 3 15 | 42 T. 468 H. | 8000 Min. 102503232 Maj. | 1728 Maj. | 100000 Min. 9626 Maj. |
| Eridani prima | 4 | 30 3 15 | 42 T. 468 H. | 8000 Min. 102503232 Maj. | 1728 Maj. | 100000 Min. 9626 Maj. |
| Sub axillæ Orionis quinta | 5 | 24 2 36 | 34 T. 378 H. | 15625 Min. 54010152 Maj. | 3375 Maj. | 1953125 Min. 5074 Maj. |
| Sub axillæ Orionis quarta. | 6 | 18 1 56 | 26 T. 282 H. | 35937 Min. 22425768 Maj. | 6859 Maj. | 4492125 Min. 2106 Maj. |

Negari igitur non potest, fixam etiam sextæ magnitudinis ad nostram mentem 22425768 Terrâ esse majorem; è contra, secundum Tychonem similem fixam 35937 Terrâ minorem. Utrumque vehementer admirandum; tum quod sidera tantam præ se ferunt magnitudinem, ex nostrâ opinione, tum contrâ, tantam parvitatem ex opinione Tychonis: profectò, si Ptolemaici non capere posunt adeò vasta corpora; rursus Copernicani haud mente complecti queunt, adeò exigua corpuscula; cum primis qui fieri possit, quod talia tenuia, tanto intervallo à nobis remota, tam vividum intensumque lumen ad Terram usque spargere queant? Atque ita hæreo, anne magis absurdum sit posterius, quam prius? Id quod autem clarius adhuc patebit ex Planetarum corporibus, quorum soliditates, & ratios ad Terram, ex utriusque sententiâ pariter infra apponamus.

Planetarum autem diametros apparentes, eadem ratione ut Fixarum exploravimus. Nam, cùm diametrum Mercurii in mediâ distantiâ jam rectè cognitam habuerimus; nec non cui circello tum æquaretur, negotium æque feliciter ut in Fixis successit. Initio autem Martem aggressus sum, anno 1661 die 7 Novembr. vesperi, eodem tubo, eodemque foramine lenti convexæ superimposito, quo ad Mercurium, Fixasque antea usus fueram. Magnitudo verò ejus diametri æquabatur eo tempore circello 86 part. hoc est, 9° 18''. Deinde, 23 Novembr. circello 94 part. h. e. 10° 10'' æqualis observatus est. Rursus die 21, cum circello 100 part. conveniebat, h. e. 10° 48''. Et ultimo die 12 Januarii anno 1662, existente Marte in oppositione Solis, cum circulo 104 part. congruebat, h. e. 11° 14''.

Jupiter, anno 1661, die 2, & 21 Decembr. mane observatus; discus ejus æqualis erat circello 148 part. h. e. 16° 0''; respectu verò Spicæ Virginis, quantum dijicare

*Ratio ad Ter-
ram Fixarū
sextæ magni-
tudinis.*

*An Ptole-
maica verior,
hypothesi Co-
pernicæ?*

*Quâ viâ di-
ametri Pla-
netarum ap-
parentes fue-
rint explora-
tae.*

*Martis dia-
meter, die 7
Nov. 1661.*

*Jovis dia-
meter die 2, &
21 Decemb.
1661.*

dicare dabatur, ratio erat ferè tripla, cuius diameter circello 50 part. respondebat.

Saturni dia-
meter die 21
Dec. 1661.

Veneris dia-
meter, die 25
Nov. 1661.

Saturni medii corporis diameter, die 21 Decembris mane, æquabatur circello 94 part. hoc est 10° 10''; cum brachiis verò 134 part. ferè h. e. 14° 29''.

Veneris autem discus anno 1661, die 25 Novemb. 126 part. conveniebat, hoc est 13° 37'''.

Tantæ omnino magnitudinis horum Planetarum diametros deteximus. Quantæ autem reverè in minimâ, mediâ, & maximâ sint elongatione à Terrâ investigandum nunc erit; & quidem ex nostrâ hypothesi. Supputanda itaque erunt, primum loca Planetarum ad tempus observationis; deinde distantia à Terrâ; tertio, diametri veræ; & quarto, ex inventis veris diametris & distantiis datis competentes diametri Planetarum apparentes. Quid verò calculus ostendat, ex annexâ perspicere est Tabellâ.

Saturnus anno 1661, die 21 Decemb.

| Longitudo H ex Rudolphinis. | $0^{\circ} 16' 4'' \text{ } \text{♀}$ | Longitudo Solis | $0^{\circ} 12' 22'' \text{ } \text{♂}$ |
|---|---------------------------------------|--|---|
| Elongatio | 29 56 18 | Commutatio | 32 44 51 |
| Logarithmus intervalli | 229910 | | |
| Distant. H à terra in part. qual. Semid. Eccentrici \odot 100000 | 1080000 | Semid. H appar. corp. intermedii | Diam. H appar. cum brachiis |
| Distant. H à terra juxta nost. hyp. in S. T. Fuit igitur H inter maximam & medium. | 55699 | 10° 10'' | 14° 29''' |
| Distantia H minima | 41000 S. T. | 2528 Mill. | 3362 Mill. |
| Media | 49040 | 12 20 | 16 2 |
| Maxima | 57080 | 10 34 | 14 10 |

Jupiter anno 1661, die 21 Decembr.

| Longitudo J ex Rudolphinis | $7^{\circ} 19' 42'' \text{ } \text{m}$ | Longitudo Solis | $0^{\circ} 12' 22'' \text{ } \text{♂}$ |
|---|--|--------------------------|--|
| Elongatio | 52 52 40 | Commutatio | 61 9 39 |
| Logarithmus intervalli | 169206 | | |
| Distant. J à terr. in part. qual. Semid. Eccentrici \odot est 100000 | 596667 | Semid. J appar. | |
| Distant. J à terra juxta nost. hyp. in S. T., Fuit igitur inter medium & maximam. | 30771 | 16° 0'' | |
| Distantia J minima | 20270 S. T. | 2054 Mill. | |
| media | 26815 | 18 2 | |
| maxima | 33360 | 14 36 | |

Mars, 1661

Mars, anno 1661, die 7 Novemb..

| | | | |
|--|----------------|-----------------------------|---------------|
| Longitudo ♂ ex Rudolphinis | 26° 37' 20" | Locus Solis Communitatio | 15° 28' 16" m |
| Elongatio | 108 50 56 | | 145 47 11 |
| Logarithmus intervalli | 44376 | | |
| Dist. ♂ à terr. qual. Sem. Ecc. ☽ 100000 | 107806 | Semid. ♂ appar. | |
| Dist. ♂ à terr. jux. nost. hyp. in S. T. | 4172 | 9" 18" | |
| Fuit igitur inter medium & minimam. | Diameter vera. | 160 Mill. | |
| Distancia ♂ à terra minima | 1879 S. T. | 20" 50" | |
| media | 7855 | 5 2 | |
| maxima | 13830 | 2 46 | |

Venus, anno 1661, die 25 Novembr.

| | | | |
|---|---------------|----------------------------------|--------------|
| Longitudo ♀ ex Rudolphinis | 9° 55' 26" p | Longitudo Solis Communitatio. | 3° 41' 57" ♀ |
| Elongatio | 36 13 29 | | 89 23 32 |
| Logarithmus intervalli | 31852 | | |
| Dist. ♀ à terr. qual. Sem. Ecc. ☽ 100000. | 122861 | Semid. ♀ appar. | |
| Dist. ♀ à terr. jux. nost. hyp. in S. T. | 6329 S. T. | 13" 37" | |
| Fuit igitur inter medium & maximam. | Diameter vera | 360 Mill. | |
| Distancia ♀ à terra minima | 1304 S. V. | 1" 5" 58" | |
| Media | 5157 | 16 46 | |
| Maxima | 9009 | 9 34 | |

Miraberis, procul dubio, Martem in minimâ à Terrâ distantiâ, ex observatione diei 7 Novemb. anni 1661, existente ejus diametro 9" 18", quando æquabatur circello 86 part. provenire 20" 50": cùm tamen ex observatione diei 12 Januar. 1662, existente in ipsâ oppositio- ne Solis, ex circello 104 part. in minimâ scilicet istâ (ut Tua quidem fert opinio) distantiâ, tantum visus fuerit 11" 14". Proinde, aut ex calculo superiori Martem de- bito majorem exhibuimus; aut die 12 Jan. an. 1662 eum omnino perperam observavimus. Verum, candide Le- citor, nec in calculo, nec in observatione aberratum esse, hoc loco demonstrare, operæ pretium esse duco.

Scire autem Te oportet, Martem non in omni situ Acronychio Terræ esse vicinissimum; sed alio atq; alio tempore, ut ut in oppositione Solis versetur multò à Terrâ esse remotiorem: quemadmodum etiam hoc anno contigit. Nam, etsi Mars, die 12 Januar. in ipso Perigæo Eccentrici, tempore oppositionis Solis extiterit; non ta- men simul in Perihelio suæ Ellipseos tum versabatur, u- Bb bi ad

Observationes videntur
inter se pa-
gnare.

Mars acro-
nichius non
omni tempore
à Terrâ a-
quidistat.

bi ad 1879 Sem. T. ad Tellurem appropinquat. Removebatur enim eo tempore ad 3346 S. T. hincque longè minor necessariò etiam apparuit, quām in illā vicinissima distantia, quando nempe in Perihelio, sive Perigæo hæret suæ Ellipseos.

*Quanto in-
tervallo
Mars à Ter-
râ, die 12
Jan. 1662
removebatur*

Sed rem numeris examinemus, atque primū expremus, quot Semidiametris Terræ, die 12 Januar. anno 1662, Mars à nobis elongatus fuerit; deinde, juxta istam distantiam, quantus videri debeat, ratione diametri apparentis. Quò videamus, an proportio diametri Martis tradita in minimo & maximo à Terrâ intervallo, tum observatio quoque diei 12 Januar., in situ acronychio salvati possint. Etenim, nisi calculus & observatio, omnino sint concordes, eandemque diametrum exhibent, nos exorbitasse certum est.

Invenitur autem ad 12 Januar. anni 1662.

| | <i>Si. Gr. Mi. Sec.</i> | <i>Si. Gr. Mi. Sec.</i> |
|---|-------------------------|----------------------------|
| <i>Longitudo. ♂</i> | 3 18 43 | 2 Locus Solis 9 22 40 50 |
| <i>Elongatio</i> | 5 26 | 2 12 Commutatio 5 28 25 29 |
| <i>Logarithmus intervalli</i> | | 48670 |
| <i>Dist. ♂ à terrâ qual. Semid. Ecc. ☽ 100000</i> | | 64918 |
| <i>Dist. ♂ à terr. jux. nostr. Hyp. in S. T.</i> | | 3346 |

*Quantus
Mars appa-
ruerit die 12
Januarii.*

*Calculus &
observatio
circa Martis
diametrum
mirificè con-
sentient.*

Cognito nunc intervallo Martis à Terrâ 3346 S. T. ad diem 12 Januar., facillimo etiam negotio exploratur, quantitas diametri ejus apparentis ad eandem diem: data videlicet minimâ nostra Martis à Terrâ distantia 1879 S. T., in qua aliâs diameter ejus 20° 50'' conspicitur: uti ex observatione superiore, die 7 Nov. anno 1661 habitâ, deduximus: peracto autem calculo invenitur 11° 36''; eâdem omnino magnitudine, quâ, ex ipsâ observatione, & circello 104 part., diameter Martis in isto situ acronychio inventa est, nimurum 11° 14''; vix aliquot scrupulis tertiiis minor, cù ex calculo eruta. Cùm igitur calculus & observatio accuratissimè convenient, utique clarè patet rectè prorsus diametrum Martis in maximâ & minima à Terra distantia determinatam esse; tum die 12 Januar. an. 1662 in oppositione Solis haud potuisse

is se 12" excedere; licet in ipsa minima Martis distantiâ, versante eo in Perihelio Ellipseos, circa Oppositionem Solis ejus diameter ad 20" 50" excurrere queat. Quod demonstrandum erat.

Vides igitur mi Astrophile, datâ diametro apparen-
te Mercurii, & distantiâ stellarum & Planetarum à Ter-
ra, posse nos absque omni aberrandi periculo, accurate
quantitates diametrorum illorum determinare. Nec est,
quod metuas posse facile nos decipi in dijudicandis ma-
gnitudinibus stellarum, iisque æquiparandis cum circel-
lis. Nam posito, sed non concesso, ad duos, tres, quar-
tuorve circellos detur exorbitare, vix tamen unicum
scrupulum secundum periclitamur; quod negligere, pa-
rum admodum refert; imò, licet, ad quadrantem, vel tri-
entem diametri Stellæ aberres, quod tamen nunquam
sanè fieri poterit, ut ut sis lusciosus, tamen vix ad 2", vel
3" exorbitabis; quæ, si respicias, quanto intervallo, ra-
tione diametri, Veteres omnes à nobis absint, perfacile
etiam condonari possunt. Sic ut ratio ista nunc detecta
diametros explorandi stellarum, mediante Mercurio in
Sole viso, pro reliquis hactenus cognitis, nostra opinio-
ne, sit certior ac planior.

Objicere quidem hic posses Telescopiorum varias di-
versissimasq; vires; dum alias præ alio obiecta auget, ac
amplificat; hinc necessariò, si hoc vel illo Tubo utaris, ad
determinandas stellarum diametros, vel iis assignandos
certos circellos, aliam atq; aliam magnitudinem sis de-
tecturus; nihilque inde certi elicere posse. Quæ obie-
ctio cuidam fortè satis videbitur valida; verùm, meo
judicio, plùs primâ fronte promittit, quàm in recessu
habet. Do quidem libenter Telescopia admodum inter-
se differe, non solum alia cœteris esse clariora; sed et-
jam quò longiora, eò magis res visibiles augere, distin-
ctiusque offerre. Adde, si Tubo ex duobus, tribus vel
plurimis lentibus constructo, ne dicam ex meris conve-
xis, vel

Datis dia-
metro Mer-
curii, & Stel-
larum distan-
tiis à Terrâ
modo determi-
natur earum
diametri.

Obiectio à
diversis Tu-
borum viri-
bus petita.

Alter tubus
altero obie-
cta plùs
auget.

xis, vel alterâ concavâ utaris, objecta mirum in modum variari, ac modò minora, modò majora videri : sic ut negari minimè possit, si præstantiorem, longioremq; Tubum ad discernendos circellos adhibeas, longè majorem Te eligere oporteat circellum, quām si breviore aliquo rem tentes.

*Quā ratione
diversitas tu-
borum obser-
vationibus
Diametrorū
nihil officiat.*

*An foramine
angustiore
lens convexa
regenda, pro
diametris
Saturni &
Jovis obser-
vandis.*

Sed, ut ut reverà sic se se habent omnia, nil quicquam tamen exinde periclitamur, seu diametri apparentes Stellarum, ex istâ Tuborum diversitate, vel minimâ quadam particulâ corrumpuntur. Posset quidem utique res admodum turbari, fateor, si duos, vel plures differentes tubos, ad explorandas stellarum diametros apparentes simul exponas : hunc nimirūm ad Mercurii diametrum contemplandum ; illum rursùs ad aliarum Fixarum, sive Planetarum corpora discernenda. Verùm negotium i-stud, non diversis simul tubis suscipiendum est ; sed uno solummodo : iste, qui ad Mercurium, postea etiam ad Fixas, Planetasque dirigendus est, invariata omnino longitudine, eodemque parvo foramine lenti convexæ superimposito, (quanquam, quod bene notes velim pro Saturni, ac Jovis facie detegendâ ampliori foramine uti poteris, cùm lumine non adeò vibranti, ut reliquæ Stellæ, sed magis sedato Planetæ isti sint prædicti) tum, idem tubus in eadem omnino proportione Tibi Mercurium, & Stellas præsentabit, circellosque absque omni fuso deget. Quod si verò alio quocunque Tubospicio id ipsum examinare lubet, invenies eandem rationem Stellas inter se habere ; dummodo alios circellos, vel majores, vel minores ad manus habeas, quibuscum Mercurium Stellasque conferre possis ; hoc tamen discrimine, si longiorem adhibeas, majores in eadem proportione circellos habebis, eosque distinctius discernes. Quare sua-forsum, ut longo quodam & accuratè expolito, nostro exemplo, minimum 12 ped: longitudine, negotium hocce suscipias.

Priusquam autem nunc ulterius pergamus, consultum esse duco, hoc loco, in peculiari tabellâ juxta diversos Autores, primum Fixarum magnitudines exhibere; deinde pariter omnium Planetarum, tum in minimâ, media, quâm maximâ elongatione à Terrâ: quo pateat omnibus, quantum discriminis sit inter Veterum, nostrasque Siderum diametros apparentes.

Diametri
apparentes
Fixarum &
Planetarum.

Fixarum Diametri apparentes juxta diversos Autores.

| Autores. | Prima mag. | | Secunde. | | Tertia. | | Quarta. | | Quinta. | | Sexta. | |
|-------------------|------------|-----|----------|-----|---------|------|---------|-----|---------|-----|--------|------|
| | Mi. | Se. | Ter. | Mi. | Se. | Ter. | Mi. | Se. | Ter. | Mi. | Se. | Ter. |
| Maginus | 10 | 0 | 0 | 5 | 30 | 0 | 4 | 0 | 0 | 3 | 0 | 0 |
| Tycho. Longomont. | 2 | 0 | 0 | 1 | 30 | 0 | 1 | 5 | 0 | 0 | 45 | 0 |
| Lansbergius | 1 | 0 | 0 | 40 | 0 | 0 | 30 | 0 | 0 | 20 | 0 | 0 |
| Keplerus olim | 3 | 0 | 0 | 2 | 0 | 0 | | | | | | |
| Ricciolus | Sirii | 18 | 0 | 11 | 0 | 0 | 7 | 0 | 0 | 6 | 16 | 0 |
| Hortensius | Sirii | 10 | 0 | 6 | 0 | 0 | 5 | 0 | 0 | 3 | 0 | 0 |
| Hevelius | Sirii | 6 | 21 | 4 | 32 | 0 | 3 | 47 | 0 | 3 | 15 | 0 |
| | Capell. | 6 | 3 | | | | | | | 2 | 30 | 0 |
| | Reguli | 5 | 11 | | | | | | | | 2 | 0 |

Planetarum Diametri apparentes juxta diversos Autores.

| Autores. | Distancia à Terrâ. | Saturni. | | Jovis. | | Martis. | | Veneris. | | Mercurii. | | | |
|-------------------------------|-----------------------|----------|-----|--------|-----|---------|------|----------|-----|-----------|-----|------|----|
| | | Mi. | Se. | Ter. | Mi. | Se. | Ter. | Mi. | Se. | Mi. | Se. | Ter. | |
| Albategnius. | Maxima | 1 | 29 | 13 | 2 | 9 | 25 | 0 | 54 | 0 | 1 | 49 | 0 |
| | Media | 1 | 44 | 28 | 2 | 36 | 40 | 1 | 34 | 0 | 3 | 8 | 0 |
| | Minima | 2 | 5 | 59 | 3 | 18 | 24 | 6 | 10 | 0 | 16 | 42 | 0 |
| Tycho. | Maxima | 1 | 34 | 0 | 2 | 14 | 0 | 0 | 57 | 0 | 1 | 52 | 0 |
| | Media | 1 | 50 | 0 | 2 | 45 | 0 | 1 | 40 | 0 | 3 | 15 | 0 |
| | Minima | 2 | 12 | 0 | 3 | 59 | 0 | 6 | 46 | 0 | 4 | 40 | 0 |
| Lansbergius. | Maxima | 0 | 43 | 0 | 1 | 0 | 0 | 0 | 25 | 0 | 0 | 52 | 0 |
| | Media | 0 | 50 | 0 | 1 | 15 | 0 | 0 | 45 | 0 | 1 | 30 | 0 |
| | Minima | 0 | 59 | 0 | 1 | 39 | 0 | 3 | 2 | 0 | 2 | 9 | 0 |
| Maginus. | Maxima | 5 | 0 | 0 | 8 | 0 | 0 | 6 | 0 | 0 | 9 | 0 | 0 |
| | Media | 5 | 41 | 0 | 9 | 55 | 0 | 10 | 32 | 0 | 15 | 39 | 0 |
| | Minima | 6 | 59 | 0 | 13 | 0 | 0 | 42 | 41 | 0 | 22 | 30 | 0 |
| Keplerus. | Maxima | 0 | 21 | 0 | 0 | 30 | 0 | 0 | 54 | 0 | 1 | 2 | 0 |
| | Media | 0 | 25 | 0 | 0 | 38 | 0 | 1 | 34 | 0 | 1 | 48 | 0 |
| | Minima | 0 | 30 | 0 | 0 | 50 | 0 | 6 | 30 | 0 | 7 | 6 | 0 |
| Hortensius & Gassendus. | Maxima | 0 | 31 | 0 | 0 | 38 | 0 | 0 | 9 | 0 | 0 | 15 | 20 |
| | Media | 0 | 37 | 0 | 0 | 50 | 0 | 0 | 36 | 0 | 0 | 53 | 0 |
| | Minima | 0 | 42 | 40 | 1 | 1 | 40 | 1 | 4 | 0 | 1 | 40 | 0 |
| Ricciolus. | Maxima | 0 | 46 | 0 | 0 | 38 | 18 | 0 | 10 | 0 | 0 | 33 | 30 |
| | Media | 0 | 57 | 0 | 0 | 49 | 46 | 0 | 22 | 0 | 1 | 4 | 12 |
| | Minima | 1 | 12 | 0 | 1 | 8 | 46 | 1 | 32 | 0 | 4 | 8 | 0 |
| Hevelius. | Maxima | 0 | 14 | 10 | 0 | 14 | 36 | 0 | 2 | 46 | 0 | 9 | 34 |
| | Media | 0 | 16 | 2 | 0 | 18 | 2 | 0 | 5 | 2 | 0 | 16 | 46 |
| | Minima | 0 | 19 | 40 | 0 | 24 | 22 | 0 | 20 | 50 | 1 | 5 | 58 |

Etherea corpora tam immensa molis non sūt, ut quidem Anticopernicani hactenus proclamant.

Sirii ratio ad Orbem magnum.

Apparet itaque tam ex his appositis tabellis, quam superiore, pag. 94 insertā, quoniam diametri & Fixarum, & Planetarum apparentes, ex hac nostra observatione longè sunt minores, quam hactenus fuerimus persuasi; corpora videlicet eorum tantæ immensæ vastitatis non esse (sicuti Anticopernicani quidē, ex hypothesi Copernicæ, ac falsis suppositis diametris sibi imaginantur) ut Stellæ fixæ orbem magnum æquent, nedum excedant; sed profecto immane quantum, eo orbe, minores sunt; ipse etiam Sirius, omnium aliás maximus, minor est 216: at reliquæ Stellæ minores, utpote quintæ, & sextæ magnitudinis, sexies millies, & amplius minores sunt orbe magno; Terrâ verò nostrâ Fixæ omnes sextæ usque magn. multò majores: prout ex tabella modo dicta clare patet.

Quamnam autem rationem Planetæ habeant ad Terram, tam ex nostrâ, quam Tychonicâ hypothesi, subsequens commonstrat tabella.

Rationes Planetarum ad Terram juxta Tychonicam, nostramque hypothesin.

| Planeta | Ex eius hypothesi. | Dia- meter vera in disci in Mill. Germ. | Circu- ferentiæ culi maxi- mi in Mill. Germ. | Area cir- culi maxi- mi in Mill. germ. | Superficies globi convexa in Mill. Germ. | Soliditas corporis in Mill. German. | Ratio soliditat- is planeta ad soli- ditatis globi terreni. |
|--------------------------------|--------------------|--|--|---|--|--|---|
| Saturni corpus intermed. | Nostra | 2528 | 7945 | 5020608 | 20082432 | 8461398016 | I ad $3\frac{1}{2}$ |
| Saturnus rotus cum brachiis | Tychon. | 542 | 1703 | 230621 | 922484 | 83334668 | $31\frac{7}{8}$ ad I |
| Jupiter | Tychon. | 448 | 1408 | 157696 | 630784 | 47098240 | 56 ad I |
| | Nostra | 2054 | 6455 | 3314129 | 132656516 | 4538148680 | I ad $1\frac{3}{4}$ |
| Mars | Tychon. | 37 | 116 | 1046 | 4184 | 25826 | 102978 ad I |
| | Nostra | 160 | 503 | 20080 | 80320 | 2141760 | $124\frac{1}{4}$ ad I |
| Venus | Tychon. | 80 | 251 | 5000 | 20000 | 266720 | 9970 ad. I |
| | Nostra | 360 | 1131 | 101700 | 406800 | 24408000 | 109 ad I |
| Mercurius | Tychon. | 28 | 88 | 616 | 2464 | 11480 | 231600 ad I |
| | Nostra | 130 | 409 | 13260 | 53040 | 1149200 | 2515 ad I |

Vide

Videmus itaque, etiam si tam amplissimum foveamus systema Planetarium, atque Solem ad 5000 Semid. T. & amplius à nobis removeamus, quām mediocria nihilominus sint Planetarum corpora ; quin etiam ipsi superiores Planetæ, utpote Saturnus non nisi septies, atque Jupiter tantum ter majores Terrâ deprehenduntur ; reliqui verò inferiores multò sunt eâ minores. Rursus, secundūm Ptolemæum & Tychonem, omnes Planetæ incredibilis sunt planè parvitatis : Saturnus nimirūm tricies ; Jupiter sexagies ferè ; Mars millies ducenties ; Venus decies millies ; & Mercurius ducenties millies, & quod excurrit, nostrâ Tellure minores sunt.

*Quanta re-
vera sint ma-
gnitudinis
Planetæ re-
spectu Terræ.*

*Juxta Tyc-
hō nem incredi-
bilis sunt
parvitatis.*

Quæ cùm ita sint, nonne igitur, Cordate Lector hæc hypothesis illâ multò absurdior est ? Desinant ergo Ptolemaici hypothesis in Copernicæam imposterum fugillare, ac cavillare, tanquam inconvenientem & absurdam : quia, profectò naturæ, ne dicam motibus magis consentanea est Ptolemaicâ. Sed, inquies, debuisses diametros corporum æthereorum ampliores supponere, more Antiquorum ; videtur te ex favore, & propensione erga Copernicum, motumque Tellurem diametros fixarum debitò diminuisse. Atverò, dic amabo, quomodo potui unquam majores illas diametros statuere, cùm ex Mercurio nostro in Sole observato, neutiquam illas majores deprehenderim. Nolens, certè, volens eò adducet sum eas non nisi tantæ quantitatis definire. Possumusne illa corpora in scrupulis majora determinare, utpote Capellam, Regel Orionis, Arcturum &c. quorum discus Mercurii discum planè æquat ? Nequaquam sane. Secùs si facerem contra manifestissimam pugnarem veritatem, atq; torrenti resisterem.

*Auctor ab
observationi-
bus vixtus
est, Stellarum
apparentes
diametros
diminuere.*

Existimarunt quidem alii, Hortensium Stellarum primæ magnitudinis diametros ex observatione Gassendi 10" vel 8" determinantem, & Galilæum illas ad 5" contrahentem largiter peccasse ; sed jugiter errant. Si qui-

*Galilæo &
Hortensijs
olim subolutis,
Siderum di-
ametros am-
putandas esse.*

quidem Regulus Leonis etiam ex nostrâ observatione non 5" 11" major est. Subit autem mirari, qui unquam fieri potuerit, Galilæum ex appenso funiculo, modo ad eò lubrico, ut docet Dialogo 3 in System. Cosm., eousque adhuc pervenire potuisse. Videtur divinando solummodo assequutum esse, Stellas scilicet primi honoris non 5" in diametro excedere, quarum magnitudines, ex hac coniunctione Solis & Mercurii clare jam ad oculum demonstrantur. Palpavimus hactenus, quasi in tenebris, in dijudicandis Stellarum diametris; nunc verò in summâ luce conspecto Mercurio, certa omnino de illis pronuntiare possumus. Sed hæc de magnitudinibus corporum Cœlestium dixisse modò sufficiat.

Corpora Planetaryn esse opaca, & obscura.

De cætero, ut alia quamplurima ex hâc observatione Mercurii rectè definire conceditur; sic etiam convincere possumus, corpora Planetarum, adinstar Mercurii non luminosa, clarissima, & subtilissima, sed opacissima, radiisque solaribus nullum transitum concedentia esse corpora. Deprehendimus namque manifestissimè, Mercurii corpusculum obscurissimum in disco Solis apparuisse, sive densissimam proiecisse ad nos umbram. Quod fieri utique haud potuisset, nec Solis radiis transitum denegasset, multò minùs in Sole ipso conspectum fuisset, nisi corpus summè densum, & opacum extitisset.

*Sol centrum
Planetarum.*

Deinde, ex hâc Synodo quoque addiscimus, Solem esse centrum orbis Mercurii, & sine omni dubio omnium etiam reliquorum Planetarum. Quippe cum Mercurius Perigæus, ac circa Nodos, in Sole incurrat; rursùs autem Apogæus circa Nodos nusquam in Sole appareat (sicuti illo tempore à Gassendo aliisque in disco Solis quæsitus, sed nunquam deprehensus) sequitur necessariò ut Mercurius illo in situ Sole inferior; hoc verò superior existat, atque Sol ejus sit centrum: de quâ autem materiâ hîc non est locus uberioris disserendi.

Restat,

H E Restat, ut diligenter adhuc inquiramus: num etiam Mercurius in hac observatione parallaxin aliquam exhibuerit, & quantæ magnitudinis illa fuerit deprehensa? Evidem ut res ista admodum ardua, & subtilis est, nec à Gasfendo nedum à quopiam alio, anno 1631 in congres-
su illo Mercurii & Solis unquam hactenus animadversa, sic animitus exoptassem, ut nobis Cœlum, durante ista Synodo Mercurii & Solis, continuò annuisset, ut omnia & singula pro lubitu annotare licuisset; sed, quia Sol tan-
tummodo per intervalla, & per dehiscentes nubes se se conspiciendum tum præbuit, non quæ voluimus, sed quæ potuimus observata fuere. Nihilominus tamen votis nostris favit Supremum Numen: quandoquidem So-
le jam ad occasum vergente, & non nisi uno gradu plus minus elevato dissipabantur nubes, sic ut clare & distin-
ctè Mercurius in disco Solis conspiceretur, tum etiam observaretur, horā scilicet 7 21' 53".

Accidit autem eo ipso tempore, ut Mercurii corpus-
colum non omnino in illâ rectâ lineâ E H, in quâ antea
jam sexies, uti ad numerum 1, 2, 3, 4, 5, 6, in superiori sche-
mate pag. 70 videre est, amplius appareret; sed in tabula nostra observatoriâ inversa, paulò supra illam lineam E H; hoc est in Iconismo F exhibitâ, infra istam lineam in m, etiamsi optimè rationem haberem differentiæ anguli verticalis & Eclipticæ, inter priores, & hanc ultimam observationem occurritis. Id quod quidem ob-
servationi, initio adscribebam: rebar enim me fortè hal-
lucinatum esse. Verùm rem aliquoties mihi reiteran-
ti, atque examinanti patuit, debite prorsus Mercurium
fuisse delineatum: atque tum in mentem veniebat de-
viationem istam non nisi à Parallaxi Mercurii ortum tra-
here: quemadmodum etiam reverà accidit. Nam omnis
parallaxis, sidera deprimit, & quidem illa tantò magis,
quantò nobis, & horizonti sunt viciniora, prout refractio
illa attollit: & quidem eò plus quo finitori sunt propiora

De Mercurii parallaxi in Sole deprehensâ.

*Circa finem
observatio-
nis, Mercu-
rius non o-
mnino rectâ
sequitur viâ.*

M E R C U R I U S
hincque etiam Mercurius declivior, infra tramitem E H
apparuit.

*Deviatio
Mercurii est
differentia
parallaxeos
Solis &
Mercurii.*

Differentia autem ista inter γ & m , non ipsa parallaxis Mercurii, sed solum differentia parallaxeos Solis & Mercurii est. Quippe Sol etiam suam possidet Parallaxin: juxta Veteres quidem trium minutorum; juxta Keplerum unum minutum primum; at secundum nostram hypothesin, suo tempore plenè deducendam tantum $40''$, & quidem horizontalem. Quanta autem hæc differentia Mercurii & Solis extiterit, jam inquirendum erit. Hæc nimirùm ratione: datâ totâ orbita Mercurii per Solem E H part. 400, erit m γ , distantia seu deviatio Mercurii à suo tramite part. 6 ferè. Cùm verò tota orbita Mercurii sit $30' 15''$ hoc est $1815''$, sic argumentamur: ut 400 part. ad $1815''$, sic 6 part. distantia scilicet m γ , ad $27''$, differentiam parallaxeos Solis & Mercurii: hoc est, tantò Mercurius extitit Sole propemodùm humilior. Jam si huic differentiæ parallaxeos inventæ $27''$, addas Solis parallaxin horizontalem $40''$, habebis ipsam Mercurii parallaxin horizontalem $1' 7''$, nobis nimirùm in hac observatione perigæa exhibitam. Quam tamen Veteres ferè omnes longè majorem constituunt; ut ex appositis liquet

*Parallaxis
horizontalis
Mercurii ex
observatione.*

*Parallaxis
Mercurii ho-
rizontalis se-
cundum va-
rios Autores.*

*Albategnius
Copernicus
Tycho Brabe
Keplerus
Bullialdus
Ricciolus
Observatio*

| Parall. ♡ | horiz. maxima. |
|----------------|----------------|
| $52' 54'' 0''$ | |
| $5' 29' 30''$ | |
| $5' 27' 0''$ | |
| $1' 58' 4''$ | |
| $4' 34' 17''$ | |
| $0' 50' 30''$ | |
| $1' 7' 0''$ | |

*An refractio
à Solis refrac-
tione diver-
sa in Mercu-
rio notari po-
merit?*

Ultimò in considerationem venit etiam refractio; & in primis disquirendum erit, an in hujus parallaxeos investigatione, & determinatione refractio quoque aliquam ingesserit diversitatem? In limine quidem videtur nihil certi de parallaxi Mercurii in hæc observatione statuere posse: cùm refractio Solis & Mercurii, in eadem

eadem elevatione, præsertim circa horizontem in altitudine duorum propemodum graduum (ut nobis in septimâ observatione obtigit) non prorsùs sit eadem; sed longè diversa. Fateor equidem aliam refractionem Soli, aliam Lunæ, aliam Stellis à Tychone esse assignatam; uti ex ejusdem Tabulis refractionum manifestum est. Nam in altitudine duorum grad. Soli competit refractione 20', & Mercurio (si refractiones Fixarū adhibemus more consueto) 15' 30''. Re itaque bene perpensā, debuit necessariò Mercurius noster, in hâc ultima observatione hor. 7 21' 53'' à nobis habitâ, 4' 30'' (tanto scilicet spatio, quanta est differentia refractionis Solis & Mercurii) in disco Solis apparere declivior, sive Sol, quod eodem recidit, altior: quia Solis refractione, major est parallaxi Mercurii, atque ita Solem plus elevat. Sic ut Mercurius non in *m*, sicut reverà deprehendimus, sed multò humilior infra ejus orbitam E H, & Eclipticam F G versùs, videlicet in *n*, videri debuisset. Quod cùm autem planè aliter acciderit, Mercurium tanto spatio, nempe 4' 30'' haud fuisse depresso, sed tantùm ad *m*, 27'', ex ejus trahite fuisse dejectum; utique sequitur Mercurii refractionem haud adeò extitisse diversam à Solis refractione: atque pro Planetis præsertim inferioribus, ac in perigæo existentibus, quod probè notandum, non eam refractionem pro Fixis constitutam, sed, sine dubio, intermedium aliquam, inter Solis & Lunæ parallaxin, nisi manvis ipsam Solis; cùm Mercurius Soli admodùm sit propinquus, usurpandam esse. Eo pacto in istâ altitudine duorum grad., in quâ Sol & Mercurius eo tempore observabatur, refractione erit eadem, tam pro Mercurio, quam Sole 20'; sic ut nullam prorsùs diversitatem adspectus inducere possit; sed simul Mercurius cum Sole, ratione refractionis elevabitur: prout videmus in hâc observatione ita penitus accedisse.

*Aliam re-
fractionem
Planeta, ali-
am Fixa ex-
hibent.*

At, inquires, nihilominus tamen animadvertisimus aliquam

*Mercurium
cum Sole can-
dem refracti-
onem; sed pe-
cularem pa-
rallaxin ha-
buisse, de-
monstratur.*

liquam diversitatem, quod nimis Mercurius ex suo tramite dejectus fuerit in m , quae forte à refractione, minime verò à parallaxi ortum trahit. Rem autem secus se habere sic demonstro. Primò, certum est, Solem non omnino omnis parallaxis esse expertem, sed etiam juxta nostram hypothesin, exhibere parallaxin $40''$. Secundò; inficiari quoque haud poterit Mercurium esse Sole propinquorem Terræ in Perigæo, quando Solis subintrat discum: quemadmodum in hæc observatione accidit. Quapropter de necessitate oportet, ut Mercurius majorem habeat parallaxin, quam ipse Sol, quæ etiam omnino circa horizontem deprehendi debet. Si igitur quædam variatio circa Mercurium animadvertisit, necesse ut prius sit parallaxis. In hæc autem nostra observatione aliquam diversitatem inter verum, & visum locum observavimus, & quidem omnino Mercurii parallaxi, vel potius differentiæ parallaxis Solis & Mercurii respondentem $27''$; ergo non nisi parallaxis est. Nam si hæc deviatio Mercurii à refractione ortum traxisset, debuisset illa longè esse major, & parallaxin excedere, tum illam planè absorbere. Quoniam verò ista exorbitatio $7 m$, non major est quam differentia parallaxeos Solis & Mercurii requirit: idcirco nullo modo refractione aliqua major in Mercurio, quam in Sole, sed planè eadem adfuit; aut saltem adeò exilis, si quæ extitit, ut parallaxis nihilominus prævaluerit, atque illam refractionem planè devoraverit. Exinde iterum iterumque perspicuum est, etiam in hoc refractionum negotio, tam Luminarium, Planetarum, quam Fixarum aliquid corrigendum restare, & pro Planetis longè aliâ, quam pro Fixis, opus esse refractione: id quod etiam ex hoc nostro sub Sole observato Mercurio clarè addiscimus.

*Refractioni-
bus quoque
subveniendū
est.*

Atque sic filum quidem plane nunc abrumpere hujus dissertatiunculae de Mercurio in Sole viso cogitabam, conscriptis videlicet breviter iis omnibus, quæ impræ-

impræsens ad subjectam materiam spectare arbitrabar ; verum nonnulla adhuc, quām grata universis, ut spero rerum Cœlestium veris Cultoribus, tam rara, Reique Astronomicæ, præsertim ad stabiliendas Siderum magnitudines maximum pondus allatura superaddere , ac sequens nobilissima observatio suadet, ac impellit.

O B S E R V A T I O inquam **V E N E R I S** in **S O L I S** disco **V I S A E** : quæ ut à nemine unquam gentium quotquot etiam à mundi conditu extiterunt Siderum vigiles, adhuc animadversa ; sic primus omnium, maximo rerum Cœlestium bono, de quā maximo perè nobis gratulamur , Solertissimus Doctissimusque Jeremias Horroxius feliciter peregit, dextrè literis consignavit, Pōterisque concredere quidem (sicut intelligo) eam statuit ; sed præmatura morte præventus lucem videre hactenus, nescio quo sinistro fato, illa haud potuit.

Hæc igitur exoptatissima, & exosculanda observatio, cùm mihi nihil tale quid cogitanti, planè eo ipso tempore, ubi Mercurius hic noster prælo subiiciendus eset, à Nobilissimo ac Clarissimo Christiano Hugenio, amico nostro honorando (pro quo benevolo erga rem literariam affectu , & meo & publico nomine gratias ipsi habeo & debeo ingentes) communicaretur ; volui hāc occasione Mercurii in Sole observati illam pariter Posteritati consecrare, atque ab omni oblivione & interitu, uti meretur, penitus vindicare. Non solūm quod admodūm congruens sit, simul cum Mercurio, & Venerem, tanto desiderio à Summis Viris Eruditis (sicut initio diximus) exspectatam, sub clarà Solis luce, ejusque disco incidentem contemplari ; sed quod & ipsa Venus nostro Hermeti haud parūm luminis addere, simileque testimonium de Siderum diametris apparentibus afferre possit ; atque sic ea, quæ ex solā Mercurii observatione tam Gassendi, quām hāc nostrā, alicui quodammodo

*Venus in Sole
non nisi semel
adhuc obser-
vata est.*

*Optat in
manus incidit
Autori Ob-
servatio Ve-
neris in Sole
visæ.*

*Quare autem
hanc obser-
vationem si-
mul typis
commiserit?*

nondum satis plana esse videantur, eò dilucidiùs Venus in Sole visa deducere, ac confirmare queat.

*Ad observationem
Sole et
denebrationem
Libellum
Horoxii An-
deror notis il-
lustravit.*

Placuit itaque observationem omnino rarissimi Veneris cum Sole congressus, à nemine nostrum hoc seculo denuò visuri, pagellis his nostris hoc loco inferere; & quidem totum Libellum, multa egregia, ac ingeniosa continentem, prout ab Auctore iste conscriptus; additis hinc inde nonnullis notis, & animadversionibus, quibus partim elucidari, partim stabili-

liri ea observatio
possit.



VENUS

E

VENUS IN SOLE VISA.

sen.
Tractatus Astronomicus,

De

Nobilissimā Solis & Veneris Conjunctione,

Novembris die 24, Styl. Juliano,

M. DC. XXXIX.

AUTORE JEREMIA HORROXIO.

CAPVT I.

Observationis hujus occasio, utilitas & præstantia.

SUb initio studii Astronomici, cum jam ad praxin verteretur animus, annorum aliquot Ephemeras ex Perpetuis illis Lansbergii Tabulis computavi. Dum labor iste pertinaci vigilia continuaretur, jamq; in Editionem vergeret, detecta Canonum eorum summa imperfætio, utiliori opere Mathematicorum animos mereri admonuit. Abrupi igitur frivolum calculum, stellarum positus in posterum¹ sub ipso Cœlo propriis oculis vestigans. At ne in casum perirent tot horæ in Lansbergium consumpta Ephemeredibus meis usus sum ad conjectandas eminus Planetarum positiones. Hinc illorum inter se conjunctiones, aut ad fixas appulsus, aliaque Solio nobiliora phænomena infuturum prævidi. Prævisis animum in præsens oblectatum, ad majorem in observando curam præparavi.

² Hinc animadversa primum nobilissima hæc Veneris cum Sole conjunctio fælix casus fuit qui circa initium Octobris, anno 1639 tanti spectaculi expectatione solicitatum, ad hanc rarissimi eventus observationem extimulavit. Ignoscō jam tumidæ illius Belgæ arrogantiæ, miseras ipsius Tabellas, indigna laude onerantis! Defino tempus in ejus Calculo male profusum dolere satis redidit præmiorum, prævisa hinc Venus in Sole.

At contra mihi ignoscat Lansbergius, quod fluxa perpetuitatis suæ fide non semel delusus, Tabulis suis neglecto aliarum consenfu, in tanti momenti observatione acquiescere dubitavi. In consilium vocavī Calculos alios, in primis Rudolphinum, frustrâ canente Hortensio, in casum tantos abiisse labores.

Docuit enim experientia quotidiana, vere illud de Kepleri Tabulis affirmari quod de suis, nescio an minori, modestiâ quam veritate, jactat Lansbergius, tantum eas inter alias efferre caput.

Quantum lenta solent inter viburna Cupresi

Confirmante spei tantam Calculo Rudolphino certiore, jam mihi visus sum de Venere triumphasse, contempñi, præ hujus raritate, frequentiores, ejusmodi in Mercurio apparentias, quas utcumque nisi semel hactenus non observatas, spondet tamen Astronomia nostro etiam seculo siue apparituras.

At ne ista lætandi impotentia, expectatione frustratum acerbius torqueret, non solum ipse tam digno speculo diligenter invigilare decrevi, verùm aliis quoque, quos sciebam Astronomiæ favere, author fui, ut idem, & illi ficerent: Idque tum ut plurium observatorum testimonia (si id forte contingere) veritatem nobis certiorem redderent, tum præsertim ut plures eidem in diversis locis observationi intentos, non ita facile frustrari posset aut Cœlum Nubilum, aut aliud quodvis impedimentum.

*Tabularum
Lansbergii de-
fectus ab Horro-
xio deegitur.*

*Ex Lansbergio
primum prævi-
dit Horroxius,
Venerem fore
Solis discum
subingresuram*

*Rudolphinarum
Tabularum
præstantia.*

*Horroxius quo-
que alios adho-
ratur, ad notan-
dum Veneris &
Solis Congressū.*

Nubes quidem valde metuebam conjugebantur enim Soli, eodem fere tempore, cum Venere, Jupiter & Mercurius. Quæ Planetarum insignis coacervatio (veluti novitates has Cœlestes nobiscum una intuendi, scenamque nobilem ulterius exorhandi cupida) magnam aeris intemperiem, minari mihi visa est. Maxime timendus erat Mercurius: qui nunquam Soli congreditur sine tempestatum excitatione: Huc usque enim Astrologorum esse minus respuo experientia quotidiana, rationis assensum approbante, cætera plusquam puerilium istius gregis vanitatum irrigitor merito.

Visum est autem hanc observationem, latentibus adhuc aliis quas non paucas in omnibus Planetis feci, singulari commentario insignire, ob magnam ejus præ aliis utilitatem & præstantiam: quam paucis perstringere, absque ingratæ jactationis nota, ut spero, licebit.

*Utilitas hujus
observationis.*

Primo vidi illam ad corrigendum Veneris motum æqualem apprime fore idoneam: idque ob duas ejus commoditates, in aliis observationibus non occurrentes.

Prior in eo consistit quod ex hac removeatur Parallaxeos orbis, (loquor ex mente Copernici cuius partes in Hypothesi generali ego unice sequor) seu secundæ Æquationis impedimentum. Tria enim corpora, Solis, Terræ, & Planetæ, in unam lineam connectens, ejus cum Sole conjunctio, destituit omnem visus fallaciam, in aliis positionibus, nodos vix solubiles connectentem.

Alteram commoditatem parit Veneris ad terram propinquitas, situsque ad Solem opportunitas. Hinc enim fit, ut unum minutum in Longitudine Veneris locum ejus apparentem tribus fere commutet.

*Motus Veneris
æqualis, haec-
nus nondū satis
accuratè explo-
ratus est.*

Si ergo è contra locum apparentem ad scrupulum observare poterimus, constabit, de verâ in Orbe suo Longitudine, ad tertiam penè scrupuli partem. Alibi verò gradus intiger Longitudinis locum visum insensibiliter plerumque variat, præsertim in maximis à Sole elongationibus, ubi cerebrimæ & certissimæ fiunt in Venere observationes. Motum autem æqualem Veneris à nemine hæcenus Astronomorum satis exacte cognitum esse cum hac tum aliæ observationes nimis aperte docent.

Secundò Longitudinem Nodi Veneris nulla observatio æque ac hac manifestat: Certior enim & exactior Telescopii (quo usus sum) quam Vulgarium Instrumentorum est observatio: ³ Neque hic Fixarum Latitudini (de qua dubitari posset) innitimus, sed ipsum Solem relipicimus, in Eclipticâ necessariò semper hærentem. Accedit insuper maxima Orbis Inclinatio visibilis, qua celeriter variata Latitudo apparet, subtilius designat Veneris à Nodo distantiam: unio latitudinis obseruatæ Minuto, Nodo Longitudinem ad partem gradus decimam cohibente. Quâ tamen in re dissentient Astronomi hodierni.

*Parvitas dia-
metri apparètis
commendatur.*

4 Præcipue autem diametri Veneris apparentis, mirabilem parvitatem Lectoris consideratione dignam commendarem: nisi consimili in Mercurio novitate, Astronomorum admirationem præoccupasset Gasendus. At qui veritatem primus docere non possum, secundus confirmo. Videant ergo jam altero, & notabiliori exemplo, quantum decipient Planetarum radii in æstimandis eorum diametris.

Hic ego rationibus adductus, Gassendi exemplum sequor, publicato hoc rarissimo, nec omnino seculari spectaculo. Nec minus gratum fore Astronomis confido, Veneris, quâ Mercurii sydus in sacrato Solis sinu arctisq; amplexibus deliteſcens occupare.

Vinclisque nova ratione paratis,

Admisisse deos.

*Horroxius sibi
gratulatur de
hac observati-
one.*

Agite jam Cœlorum penetralia rimantes oculi, ipsum etiam Solis gremium Telescopio vestro intueri Maculasque simul aeterno Luminis, exprobare ausi. Tuque ante alias age, felicissime Gasende, qui primus, & adhuc solus, versatile illud Mercurii sydus, in arcano cum Sole congresu reverâ deprehendisti: priorumq; in hac luctâ frequentes lapsus, certâ tandem victoriâ, in lubricissimum veteratorem egregiè vindicasti: Ecce tibi, vir clarissime, mihiq; in hac fortunâ (liceat dicere) conjunctissime: ecce (inquam) jam rarius spectaculum, nostroq; seculo, non iterandum: iisdem etiam ex adytis protractam Veneris stellam, gratissimos alibi vultus, hic tristi caligine obductam, veramque ipsius magnitudinem modestius, & sine fuso, sub Sole jaçantem, omnia denique mihi coactam fateri, quæ tibi olim Mercurius.

Euge quâ pulchrè utriusque ingenio aptantur sua fata! quâ pulchrè utriusque conditioni convenient, monita Cœlestia! Nimirum tu Theologus gravis, humanæ Sapientiæ Patronum, ego, nondum decocta satis adolescentiâ, Juvenis levior amoris Deam, sub verâ Solis luce obscurantes.

JOHANNIS HEVELII NOTÆ.

*Cujas sit Hor-
roxius.*

J Eremias Horroxius, qui arctam hanc synodum Solis & Veneris observavit, natione Anglus, & quantum conjicere possum, ex Palatinatu Lancastriæ ortus est: Juvenis alias doctus ac ingeniosus, impensis vero Cœlestis contemplationis cupidissimus. Conscriptis hunc libellum anno 1640, paulo verò post, ut rumor est, vitam cum morte commutavit.

¹ Sub

¹ (Sub ipso Cœlo.) Hac omnino recta est via, ad veram Sideralis scientia cognitionem pervenendi. Extraduce enim illam perpetuò colere, mera insipientia est.

² (Hinc animadversa.) Quanquam certum sit Tabulas Lansbergii in motu Veneris, præ ceteris omnibus, si Danicas excipias, enormiter à Cœlo aberrare, ut supra pag. 34 ostendimus; ad annum tamen 1639, Decemb. 24 St. Jul. Venerem exhibent in Sole: cum juxta Rudolphinas multò alioquin correctiores, vix limbū Solis Austrinum stringere debuisset, sicut postea dicitur fusiū. Verum non idē Tabulae Lansbergianaæ Rudolphinis certiores sunt? nequitque: siquidem in latitudine Veneris, prout observatio hac ipsa deinceps docuit, tempore quo conjunctio hac revera in Cœlo accedit, ad 16° exorbitant, dum Kepleri satis præcisè illam latitudinem indicant. Imo istæ Lansbergiane Latitudinem Borealem 8° quam ipsa observatio tot propemodum minutis Australē ostendit. Quid autem adeo longè à cœlesti tramite ha Lansbergiane deviaverint, hoc profecto lucro & felicitati Horroxio cesit, quod nimurum Venerem circa istam conjunctionem animadverterit. Ex reliquis namque Tabulis omnibus (ut infra clarissim dicetur) nunquam credidisset, Venerem posse istā vice, anno scilicet 1639 die 24 Novemb. St. V. Solem incurrere; imo ipse Keplerus id sibi nunquam imaginatus est: quoniam, sicut legere est, in Admonitiunculâ sua ad Curiosos rerum Cœlestium, pag. 1, in eâ fuit sententia, debuisse Venerem sub Solis discum anno 1631, die 6 Decemb. incidere, atque ante annum 1761, diem 25 Maii Iuliani hanc quam redire. Inquit enim: Non hoc propterea præcipue, quia rarissimè contingunt hujusmodi cursus Veneris in Sole; nec ante revolutionem 235 annorum in eodem loco; non pluribus, quam duobus totius circuitus locis, scilicet apud Nodum utrumque: sic ut inde ab anno 1526, 23 Maii factum sit nunquam, nec iterum fieri possit usq; in annum Incarnationis 1761, diem 25 Maji Juliani.

Hac occasione meriò nunc queritur, an Venus bis, spatio octenni, simul anno 1631, die 6 Decemb. Greg. ut Astronomi plerique existimariunt, simul anno 1639, 24 Novemb. Jul. sicut obtrigit, Soli ita ar- ete conjungi, ut in ejus disco videri possit? Evidem, si hac quæstio ex mente Perspicacissimi Kepleri, ut fas est, decidi debet, statuendum omnino, id fieri hanc potuisse. Ex modo enim citatis Kepleri verbis clare affulget, Venerem non posse ante annum 61 proximi seculi in Sole denuo conspicere. Quoniam autem nihil minus anno 1639 die 24 Nov., observatione hanc Horroxii attestante, qua in propatulo est, Venus non solum Limbum Solis strinxit, sed satis altè permeavit; utique anno 1631 id fieri hanc potuit: quippe semel tantum in unâ periodo, ut Keplerus vult, hocce phænomenum contingit.

At, inquires, omnes ferè & singuli in astrorum cognitione periti in eâ tamen fuerunt opinione, Venerem Solis discum permeasse anno videlicet 1631. Ex observatione profecto id minimè constat; siquidem GasSENDUS, qui inter ceteros diligentissimè huic Conjunctioni invigilavit nec 6, 7, nec 8 decemb. nihil quicquam deprehendit. Ex calculo quidem Rudolphino indubitatum est, conjunctionem istam debuisse eo tempore die 6 Decemb. hor. 9 6' mane Parisis, contingere: cum latitudinem tantum borealem 11° cir: habuerit Venus. Verum ex ipso calculo potius in contrarium adducor, eo scilicet tempore Venerem in Sole haud fuisse conspicuam. Nam si Venus in Sole observata est anno 1639, refragante ferè calculo Kepleriano, dum vix limbū Solis stringere debuisset; quomodo quo anno 1631, annuente eodem calculo, ac monstrante Venerem Solis discum satis profundè fore ingressuram, ea ipsa in Solem pervenire potuit? Quandoquidem Tabula in simili Conjunctione, non nisi pari etiam ratione vel aberrant, vel consentient.

Adhac si adhuc aliquantiò altius rem perpendimus, id ipsum clariss patet: Tabula enim Kepleri anno 1639 Veneris Conjunctionem cum Sole 10 hor. propemodum citius commonstrant, quām revera obseruata est, cum latitudine Austr. 14° 8''. Ideoque si calculum 10 hor. tardius instituamus ad tempus ipsum observationis Hor. 5 55' vesp. Latitudo provenit 7° 45'' Austr.; sic ut tempore vera Conjunctionis Venerem in Sole ostendant, ut ipsa observatio exhibuit, atque in latitudine parum admodum immo penè nihil devient. Idcirco, quia negari non potest istam Conjunctionem anno 1639, 10 hor. tardius accidisse; utique sequitur etiam, ut anno 1631, si quis accidisset adeo arctus Veneris & Solis congressus, pariter 10 hor. serius contigisset, cum latitudine Venerem in disco Solis retinente. At verò, si calculum eâ ratione ponimus, ad horam videlicet 7 mat. diei 27 subseq. (debuit namque ex calculo, revera contingere Parisis, illa ipsa conjunctione Veneris & Solis die 26 Nov. St. v. hor. 9 6') provenit latitudo 18° fere, existente Solis diametro tantum 15° 30''. Ergo anno 1631 Venus nequitque sub Solis corpore videri potuit. Id quod etiam ipsa GasSENDI Observatio luculentissimè corroborat. Non solum enim die 26 Nov. St. Jul. sed etiam 27 ab ipsa horâ octavâ maturinâ, ad tertiam usque pomeridianam soliciè Venerem in Sole questrivit, suto cœlo, ac ne vestigium quidem ejus in Sole deprehendit. Rectè igitur diximus, Venus, quæ à Keplerio, aliisque viris Erratis anno 1631, die 26 Novemb. in Sole credita est, nullo modo Solem subiit, sed primum anno 1639, die 24 Novemb. St. V.

(³ Neque hic Fixarum Latitudini) Profecto, non solum de Latitudinibus plurimarum Stellarum, sed & Longitudinibus meriò dubitatur; ut satis evidenter supra in Mercurio pag. 46 & 47 commonstravimus. Hincque ante restorationem Fixarum in corrigendis Errorum motibus incasum laboramus.

(⁴ Præcipue autem diametri Veneris) Non postremum est, Horroxium Veneris apparentem diametrum, existente in perigao, & quidem sue Ellipseos, ubi alias omnium appetat maxima, diligenter summaque fide annotasse. Si quidem ex eâ rectè explorata, maxima queque in Astronomia dependent;

Tabulae Lans-
bergianæ præ-
ceteris in mo-
tu Veneris
peccant.

Enormis devi-
atio Tabularū
Lansbergii
ansam Horro-
xio præbuit ad
observandam
Venerem in
Sole.
Quoties Venus
in Sole videri
posit?

Probatur Ve-
nerem an. 1631,
per dīcum Sō-
lis neutiquam
incessisse.

GasSENDUS Ve-
nerem in Sole
an. 1631 non
conspexit.

De Fixarum
locis dubitatur

Est res magni
momenti Ve-
neris diametrū
apparente re-
ctè habere ex-
ploratam.

imò talia exinde demonstrari posse confido, qualia hactenus, ut mox mox monebimus, penetrari hand potuerunt. Proinde etiam hoc saltem nomine, reliqua ut taceam, Res Sideralis plurimum Observatori debet.

CAPUT II.

Observationis modus & historia.

*Quā ratione ob-
servationem
Horroxius insti-
tuerit.*

Cogitanti mihi, quibus potissimum armis Venerem in arce sua aggressus, certissimam de illa Victoriam reportarem, maxime placuit recens & admirabilis Telescopii inventio, partim ob singularem ejus dignitatem, maximè ob accuratam præ aliis instrumentis certitudinem.

*Etsi enim ingeniosa sit & commendatione dignissima ratio, quam Keplerus in opticis demon-
strat, Solis diametrum, & deliquia per foramen nudum & vitri expers sub cava scena observandi
eamque Keplerus mirè predicatam, ipso etiam Telescopio preferat, quod vitris cassa immunis sit à
distortione. Ego tamen illa uti, nec potui, nec volui. Exiguam enim nec scrupulosam, satis exhibet,
Solis imaginem, nisi immanis fiat à foramine distantia: quam mihi negabat loci angustia: sed &
metuebam, eo modo, periculum observationis amittendæ subire, qui prius W. Schickardum, & D.
Möglingum Hasiaci Principis Mathematicum deluserat, in Gasendi Mercurio. Illi enim Mer-
curii diametrum longe majorem vero juxta receptam sententiam expectantes, tanto usi sunt fora-
mine ut Mercurium ex illo repræsentari, non fuit possibile, quod Geometricè demonstrat Schickar-
dus: Et quamvis Venus majorem se promittens, timores hos aliquatenus minuebat, poteramque
utrumque foramen ad placitum aptare, malui tamen in nunquam repetendâ observatione frustra ti-
mere, quam frustrâ resipiscere: præcipue, cum ad manus eset, singularis præstantiæ Tubus op-
ticus, qui vel minimas in Sole Maculas detegit, & ad exiguum, intervallum, accuratissimam con-
cedit disci Solaris divisionem, quemque in aliis observationibus, visibilia sine omni distortione re-
præsentare inveni.*

Hoc ergo unicum hujusmodi negotiis instrumentum, ego quidem præficiendum existimo Cu-
jus inventioni ut primum uberrimus ejus usus mihi innotuit, hoc qualicunque carmine applausi.

*Encomium
Telescopii.*

Illa triumphanti struxit divina trophyum
Uraniae manus, hunc Tubum qua prima repertum
Tradidit humano generi, docuitque remoto
Injicere audaces mortalia lumina Cœlo
Sic tristes libeat Solis spectare labores
Aut Soli oposita nocturna pericula Lune
Certior hoc nullus Cœlo dimittitur alto
Mercurius, nemo tanta Mysteria luce
Interpres pandit: nec erit qui sydera tandem
Nesciat auxilio tali captare, beatus
Hoc poteris vere Cœlo deducere Lunam
Asserere & terram Cœlo similique regentem
Cursu frana, suæ Cererem sociare Diane
Scilicet & scopulos pelagiique immensa profunda
Cernentem Luna vultu, que jura verabant
Assimilare tuis Cœlestia corpora Terris
Ista dat arma tuis, animose Copernice cepitis
Terraque eternis convolvere legibus auso
Aspirans reliquis vultus simul induit astris
Mortales terramque jubet sperare secundas
Post Solem Stellisque pares vacuo æthere sedes
Dumque ruinas veterum spretura columnas
Indocili prohibet submitti peccora turbae.
Vexat Aristotelis jurantes verba catervas
Textibus in casum fortes lacerataque scindit
Dogmata, Cœlesti Maculis in Sole repertis
Cumque suo pariter corrupta volumina Cœlo
Blattis & tineis (aptissima dona) remittit
Hic gratam Veneris faciem, nimiaque superbam
Luce suis nudat radiis, corpusque tenebris
Vindicat, indignam produnt dum Cornua fraudem

Deque

*Deque ipso Solis gremio, clausisque latebris
Eruit, obscura pallentia sydera nocte,
Mercurium Veneremque, sacri & penetralia Regis
Audaci intuitu rumpit, secretaque lustrat
Consilia, O facinus vis Sola imitata Promethi
Ecce ducem ingens veri cultoribus, & quem
Commentis hominum, cæcis pelagoque furenti
Errorum, O si qua est Cœli studiosa juventus
Præferat, & tanti discat miracula Tubi.*

Hac ego machinâ Veneri insidiatus, descripsi in chartâ circulum, cuius diameter, dimidium ferè pedem æquabat. Majori enim commode uti non sinebat loci angustia. Divisiones vero fatis accuratas admittebat hæc quantitas.¹ Neque enim scrupulosius secabitur limbus Quadrantis quinquaginta pedes in radio complectentis: quantum quis unquam Astronomorum condidit: Et mihi quidem magis probatur, hæc mensura quam amplior: quia Solis imaginem admittit, et si minorem, clariorem tamen & minus tremulam.

Circuli peripheriam in gradus 360, usitato more partitus sum; Diametrum vero in partes æquales 30 quot circiter scrupula occupat Solis Diameter apprens. Harum singulæ in particulas 4 disiectæ sunt: omnes igitur 120. Potuitque adhuc, si placuisse minutius dividi: sed relinquebantur cætera oculorum estimationi, quavis divisione reali in tam parvis certiori. Cogita igitur, singulas partes tricesimas, in scrupula secunda 60 divisas ea ratione quæ haec tenus in Astronomia confuevit.

Deinde sub horam observationis recessi in aptam cameram, clausisque adversus lucem fenes-
tris, Tubum opticum ad justam longitudinem extensem, per foramen ad Solem direxi: radiosque Solares per Tubum transiuntes, circulo prius descripto, ad angulos rectos excepti: Solis imagine circulum exactè completere, diligenter demum & lape adspexi, nigrum quodcumque in depicta Solis luce adversurus.

Quamvis autem propria motuum Venereorum reformatio, quam ante inceperebam, & cui maxime fidendum esse non dubitavi, ante horam tertiam post meridiem diei 24, quidvis expectare verabat. Tamen aliorum fere omnium Astronomorum calculis, conjunctionem longe maturius (nonnullis etiam in diem 23) promittentibus, nolui tam opinioni propriæ, nec dum latè confirmata favere, ut exinde nimium securus, de ipsâ observatione periclitarer, quo circa & die 23 maximè autem toto 24, operi intentus, per intervalla temporis opportuna experimentum captare non neglexi.

Observavi enim die 24 à Solis exortu ad horam usque nonam, item paulò ante decimam ipso-
que demum meridie, & hor. 1 pomeridianâ 2 aliis temporibus ad majora avocatus, quæ utique ob
hæc parerga negligi non decuit: At omnibus iis momentis, nihil penitus in Sole conspexi, exceptâ quadam pusilliâ & communi *Maculâ* particulis quasi tribus à Solis centro ad sinistram remota
quam etiam diebus præcedentibus, & sequentibus in Sole notavi: Ergo illa nihil ad Venerem.

Horâ atem 3 15' post meridiem, quo primum tempore observationem repetere vacabat, dis-
cussæ penitus nubes ad oblatam veluti divinitus occasionem invitarunt volentem: Ubi ecce gra-
tissimum spectaculum, & tot votorum materiem notavi *maculam* novam, insolite magnitudinis,
figuræque omnino circularis, supra limbum Solis sinistrum jam totaliter ingressam: adeò ut mar-
gines Solis & *Macule*, ad sinistram præcisè coinciderent, formantes angulum contactus: Statim
hanc Veneris umbram esse minimè dubius ad sedulam illius observationem me accinxi.

Primò pro Inclinatione Lineâ diametrali perpendiculariter ad Horizontem insistenti circuli
tamen plano ob Solis altitudinem aliquantum reclinato, inveni Veneris umbram hora dicta 3 15'
Solis discum intrasæ grad. 62 30' circiter (certe inter gr. 60 & 65) à vertice ad dextram. Hoc
intus in obscurâ camerâ: Ergo foris in ipso Cœlo contrarium evenit, ut postulant leges opticæ,
fuitque Venus inferior centro Solis, distans grad. 62 30' à parte Solis in hinc, seu Nadir, ut vo-
cant Arabes; Duravit autem ad omnem sensum eadem *Inclinatio* ad Solis occasum finemque ob-
servationis.

Secundò distantiam centrorum Solis & Veneris ter observavi ut sequitur,

| <i>Horologium</i> | <i>Centrorum distantia</i> |
|------------------------------------|----------------------------|
| 3 15' | 14' 24" |
| 3 35 | 13 30 |
| 3 45 | 13 0 |
| 3 50 <i>Solis occasus apparet.</i> | |

Verus Solis occasus fuit hor. 3 45 apparet, ob refractionem, minutis circiter 5 sequebatur, ve-
rum horologium ergo satis exactum.

*quantitas circu-
li observatorii,
& in quo par-
tes fuerit divi-
sus.*

*Die 23 Nov. de
Veneri in Sole
nihil deprehen-
sum.*

*Observatio die
24 Nov. St. Jul.*

*Venus circa ve-
speram in disco
Solis conspicitur
ab Horroxo.*

*Quando Venus
Solis intraverit
discum.*

*Magnitudo ap-
parens, diamet-
ri Veneris.*

³ Tertiò, diametrum Veneris in circulo chartaceo umbram suam depingentis, sedulâ & multoties repetitâ collatione deprehendi, parte tricesimâ diametri Solaris, majorem quidem, at valde parum, sextâ quasi (aut ad summum quintâ) illius particulâ. Esto igitur sicut æstimavi, diameter Solis ad Veneris diametrum, ut $30'$ ad $1' 12''$ Certe diameter Veneris nequaquam æquabat $1' 30''$ nedum $1' 20''$. Et hoc tam prope Solis limbū, quam ab eo longius distante Venere, similiter repperi:

*Ubinam obser-
vatio peracta
fuerit.*

Mercat

Atlas

Minor.

Prog. T B

Tom. I.

Pag. 13.

*Non nisi per se-
mihorulam*

*Horroxius Ve-
nerem in Solis*

*complexu con-
templatus est.*

⁴ Locus observationis hujus, obscura quædam villa fuit, quindecim circiter milliaribus à Liverpolia distans ad Boream Liverpoliae autem (ubi plurimas ante hac observationes habui) Latitudinem saepe inveni grad. $53^{\circ} 20'$ (et si Mappæ vulgares illam statuant grad. $54^{\circ} 12'$) ergo huic erit $53^{\circ} 35'$ Longitudo utriusque mihi videbitur $22^{\circ} 30'$ ab Insulis Fortunatis, quas jam Canarias dicunt, hoc est grad. $14^{\circ} 15'$ ad occidentem ab Uraniburgo Daniæ cujus Longitudo ab indigena Tychone ponitur grad. $36^{\circ} 45'$ ab iisdem Insulis.

Atque hæc quidem omnia fuerunt, quæ mihi de hac nobilissima conjunctione observare licuit pro brevi temporis spatio quo Sol in Horizonte nostro visibilis manlit. Licit enim Venus in Solis superficie, per horas aliquot integras hæserit, à me tamen ultra semihoram videri non potuit, ob mox insecutum Solis occubitum: omnia tamen quæ in tantillo spatio haberí poterant, Divino favore adeptus sum: ut vix quicquid amplius desiderem. ⁵ In sola *Inclinatione* extremam scrupulositatem asequi non licuit. Erat enim difficillimum, in rapidâ Solis translatione illam ad gradum unum certo observare neque illud à me factum esse, nedum fieri potuisse, ingenuè confiteor: Reliqua verò certissima sunt, quantumque voluerim exacta.

NOTE.

In quot partes
Quadrans $50'$ ped. dividi
possit.

(¹ Neque enim scrupulosius) Hac in parte Horroxio non adstipulor; in eâ enim opinione penitus sum, Quadrantem in radio $50'$ ped. posse me in singula secunda, ne dicam quina tertia optimè distribueret præsentim eâ ratione quâ mea organa alioquin divisi. Nam si illa Instrumenta quoad radium, 6, 8 & 9 tantum ped. quina secunda accuratè commonstrant, quidni etiam illa $50'$ ped. in radio singula secunda.

Asiduè vigi-
landum circa
eiusmodi ra-
rissimum phæ-
nomenum.

(² Aliis temporibus ad majora) Evidenter, si mihi tunc temporis sic licuisset esse beato, quod tamen hic Gedani ob Solis maturiorem occasum haud fieri potuit, nulla alia occupationes, quæ unquam alio tempore peragi portuissent, me ab hac nobilissimâ nunquam iterandâ observatione avocasset; sed asiduè, ut Mercurio nostro, sic adhuc multò magis Veneri adhæsissem, vixque oculos à Tabulâ, nisi aliis rursus Solē protinus exceperisset, removissem. Quod si idem noster Horroxius fecisset, ipsum momentum attactus & ingressus Veneris sub Solem feliciter annotare, nobisque relinquere potuisset. Plurimum enim interfuiser, id ipsum observasse. Nam ex isto primo puncto contactus, atque postmodum ultimâ observatione, Venere aliquam alius Soli immersâ, elapsō scilicet unius integræ horæ spatio, ipsam inclinationem Orbitæ Veneris accuratè deduxisset; quod ex reliquis tribus distantiis adeò propinquis fieri nunc minimè potest.

Admiranda
parvitas dia-
metrorum Ve-
neris & Mer-
curii.

(³ Tertiò, diametrum Veneris.) Define nunc amplius mirari, amice Lector nostri Mercurii diametrum apparentem, in Sole $12''$ tantum existentem. Cum videoas Veneris dimicentem non nisi $1' 16''$ deprehensam esse: quam sibi Tychonici ibidem in Perigao (ut vult Horroxius Cap. 16) $12'$; Lansberiani $11'$; Kepleriani $7'$ ferè, & qui Ricciolum sequuntur ultrà $4'$ imaginantur. Ego, et si primum conscripto nostro Mercurio hanc observationem viderim, nec quicquam de ea antehac inaudiverim; tamen ex solâ nostrâ Mercurii observatione, ut alii probè norunt, illico conjeci, Venerem vix paulo majorem unius scrupuli primi posse in perigao apparere; in primis, cum certis observationibus edocimus essem, non procul ab Apogeo vix $12''$ vel $13''$ diametrum ejus esse majorem. De quâ autem plura sub capite 16 hujus libelli.

Ubinam Li-
verpolia sita fit

(⁴ Locus observationis hujus) Liverpolia, Anglicè Liverpoole, 164 milli: Angl: 41 verò mill. germ. à Londino in Palatinatu Lancastria Corum versùs; ab Eboraco autem 75 mill. angl. 12 19 germ. Favonium versùs, ad mare Hybernium sita est: juxta Atlantis majoris Tabulas, Dn. 7. Blauii.

Cómodissima
machina pro
Mercurio &
Venere in Sole
observandis.

(⁵ In solâ inclinatione) Rectè quidem, medianie Tubo, Horroxius observationem aggressus est; sed optarem, ipsius temporis cognitum fuisse modum istum, quo in similibus observationibus, Eclipsibusq; Solaribus utimur: cuius beneficio Sol ferè nunquam, me invito, circulo egredi potest; totaq; machina, cum Tabellâ circulare observatorium exhibente, adeò firmiter Tubo optico adhæret, ut nequaquam Solis rapidissimus motus, quemadmodum quidem Horroxio obtigit, observationi officiat, neque inclinationi resistat, quò minus optimè, & accuratissimè, eâ ratione capi possit: de quibus in Machina nostrâ Cœlesti pleniùs.


Horroxius ip-
sum typū ob-
servationis
non exhibuit.

Denique maximoperè nos beasset Horroxius, si simul huic historiae Veneris in Sole vise ipsum observationis typum, & quidem discum Solis eadem magnitudine, quo scilicet disco Venerem eo tempore exceptis hic adjunxit. Verum nusquam in hoc opusculo istum reperi. Quare, ut rarissima ac nobilissima hac obser-

Venus in Sole observata

SYGNETOSIS

A Teremia Horroxio, Anno 1639 Die 24 Novembris, st. Jul.
Delineata vero à Iohanne Hevelio.



observatio è clarior reddatur, *Venerisq;* magnitudo ac genuina proportio, in primis ad discum & diametrum Solis accuratè exhibetur, lubens volui, ad mentem auctoris, *Venerem in Sole animadversam ipse met delineare, ariq;* incidere.

Discum autem Solis non planè ei & aqualem Tibi hīc fistō, quo Horroxius in observatione usus fuit, dimidiū videlicet pedis Anglici, sed paulo adhuc majorem, & aqualem nimirum disco, quo Mercurium inseparatus sum: & quidem eum in finem, ut è exactius corpus *Veneris* ad Mercurii corpusculum ex utriusque schemate clare elucesceret. Cetera verò omnia, ut anctior pag. 115 indicat: limbū nimirum dividendo in 360° , & diametrum in 30 partes, singulasque vicissim in quartuor particul. ad umbra vimus.

Ex quo nunc Icomismo luculententer patet, sub quā inclinatione, & quo gradu limbi *Venus* Solem intraverit, ad $242^{\circ} 30'$ scilicet à puncto Zenith dextram versus numerando; hoc est à puncto Nadir sub $62^{\circ} 30'$, teste Horroxio. Praeterea, progressum *Veneris* in ejus orbita, quem in dimidio hora spatio fecit, ex tribus observatis istis distantias rite etiam quantum fieri potuit designavimus: utinam plures hujus generis distantias & observationes autor peregrisset! quo motum ejus horarum orbita & que inclinationem è exquisitius exhibere hīc potuimus; sed occasus Solis prematurus ea omnia prohibuit.

Quanta magnitudinis discum Solis in hac observatione auctor delineaverit.

Ad quem limbi gradum, & sub quā inclinatione *Venus* solem subin gressa fuerit.

CAPUT III.

Quid de hac coniunctione observarint, aut observare potuerint alii.

Ut primum in copulæ hujus notitiam & considerationem incidissem, non solum ipse tam digno spectaculo diligenter invigilare decrevi, verum aliis quoq; quos sciebam Astronomiæ favere, author fui, ut idem & illi facerent. Idque tum, ut plurium observatorum testimonia (si id forte contingeret) veritatem nobis certiorem redderent, tum præsertim, ut plures eidem in diversis locis observationi intentos, non adē facile frustrari posset aut Cœlum nubilum, aut aliud quodvis impedimentum.

Statim igitur, ad charissimum *W. Crabrium* Virum, quod ad Mathematica attinet, paucis cedentem, literas dedi admonitorias, ut ipse quoque his veluti epulis Uranicis adesse veller, dummodo potestatem illarum indulgeret Cœlum. Quæ quidem literæ, maturè satis ad illum delatae, invenerunt lætissime hujusmodi admonitioni parentem: seipsum igitur ad sedulam observandi curam studiosè comparavit, eodem prorsus modo observationem instituens, quo ego; multum vero illi invidit Cœlum, crassis nubibus toto ferè die obteatum, quibus factum est, ut crepto Solis conspectu, de observatione planè desperans, omnem illius curam penitus remiserit.

At paulò ante Solis occasum, hor. $3 35'$ circiter, (certè inter $3 30'$ & $40'$) erumpente primum è nubibus Sole, exiliit protinus ad observationem, viditque beatus gratissimum *Veneris* in Sole Spectaculum, cuius jucunda contemplatione ultra se penè ereptus, diu stetit otioso intuitu se ipsum oblectans, propriisque sensibus in tantâ lætitia vix satis fidens. * Habemus enim Mathematici, muliebre quoddam ingenium, levibusque, & quæ alios ne hilum quidem moverent, perditæ delectatum. Quam sanè ingenii levitatem rideant impune qui volunt, me etiam præsente, & si placet, fabulam ac jocum adjuvante. Unum oro, ne quis severus Cato vanitatibus nostris serio indignetur: Ut enim Astrologice, hoc est, poetice loquar: quis juvenis, quales nos sumus, *Venerem Soli pulchritudinem divitias* conjunctam, etiam in Terris non admiratur stupidus? Sed ad nos revertamur; ille ab ecstasi sua, Ego à digresione. Observanti rursus post breve spatium nubes Solem eripuerunt, ut nihil certius annotaverit, quam ibi tum fuisse *Venerem*. Quæ autem in tantillo spatio animadvertere potuit, erant hujusmodi.

Venus in opaco conclavi occupavit dextram Solis oram, fuitque centro superior; ergo in Cœlo inferior ad sinistram. Distabat *Venus* hora dicta $3 35'$ intercapidine satis notabilè à sinistra Solis margine: sed neque hanc distantiam, neque Inclinationem exactè observare potuit, ob temporis brevitatem. Quantum autem, nuda estimatione assequi valuit, recenti adhuc memoria tenens, pictura delineavit *Veneris* in Sole situm. Quam mihi ab eo monstratam picturam, inveni ab observatione meâ parùm aut nihil differre, nec plus quam in tam festinatâ estimatione vel ipse Appelles peccaret.

Diametrum *Veneris* observavit, partium 7, qualium Sol habuit 200: Hoc est in mea mensura scr. 1 3".

** Hæc prope Manchestriam, quam Mancunium seu Manucium appellat Antoninus, cuius Latitudinem invenit. *W. Crabrius* gr. 53 24' vulgares Tabulae 45 15' statuunt. Longitudo est gr. 23 15' hoc est tribus minutis horæ ad ortum à Liverpolia, unde milliaribus 24 distat.

Invitat Horroxius quoq; alios, ad observandum hoc rarum cœl. phænomenum.

Observatio *W. Crabrii*.

Mathematicorū Genius describitur.

Præter *Veneris* diametrū *Crabrius* nihil observavit.

Diameter appartenens *Veneris* juxta *Crabriū*.

Ubinam *Crabrius* observationem administraverit?

*Horoxius fratre
frustra ad obser-
vationem exci-
tavit.*

*Duplici de causa
Autor alios non
admonuit.*

*Grate fuisse
Autori aliorum
observationes
quibus suam co-
firmare aut cor-
rigere posset.
In quibus locis
hic congressus
potuerit obser-
vari?*

*Non Uraniburgi
sed*

Gæse.

Casellis.

*Schickargi Re-
spons. pag. 15.*

Parisii.

*In Italia
Gallia
Hispania.*

*Americanorum
præ aliis felici-
tatis.*

*Dolet. Autor Ve-
nerem otiosis &
ingratis specta-
toribus se se co-
spicciendam pre-
busse.*

*Quidam
Cyprianus
Dionysius
Cyprianus
Cyprianus*

De hac coniunctione admonui & fratrem natu minorem, qui tum Liverpoliae degebat ut ille pro suis viribus aliquid praestaret, quod quidem conatus est: sed incassum: Die enim 24, nubibus interclusus, observare non potuit, et si diligenter attenderit, sequenti autem sereniori die, sœpe intromissa Solis specie per telescopium, nihil vidit, scilicet quia Venus jam Solem peragraserat.

Alios quod non admonuerim, veniam mereor; paucos enim novi hujusmodi mugas non derisuros, utpote canibus suis & avibus, ne graviora dicam, post habitas: Et quamvis habeat Anglia nostra Syderum etiam venatores, & mihi notos; invitare tamen ad hujus spectaculi jucunditatem non potui, quippe sero nimis à me ipso animadversi.

At quid si alii, nec admoniti, nobiscum una observationi attenderint? Evidem fortunis illorum non invideo, lætor magis, iisque industriam gratulor. Neque parum laudatus mihi audietur, si forte post hac extiterit, qui nostram observationem simili confirmet, imo vel certiori corrigat. Quod à quibus expectandum sit auxilium, paucis expendamus.

Spatio semihoræ Venus movit ad centrum Solis scrup. 1' 24" ergo minutis horæ 26', mota est per quantitatem diametri propriæ seu scr. 1' 12" quantum in observatione prima hora 3^o. 15' præcedens limbis Veneris, Solis limbum superasset. Atque igitur hora 2 49' fuit initium primum Eclipsis hujus Venereæ.

Fuisset hoc tempus, Uraniburgi, olim sub Tychone suo Astronomiæ sedis hora 3 46'. Sol autem, istic hora 3 30' occidit hoc est, scrupulis horæ 16 ante initam Eclipsin. Nihil ergo istic videiri potuit, siquidem, non tota moritur cum patrono suo Astronomia, sintque adhuc, qui observationibus vacantes antiquum Uraniburgi, decus sustineant.

Goese Zelandiæ, ubi floruit nuper Lansbergius cedidit initium, hora 3 14'. Solis occasus hora 3 55'. Potuit ergo istic observari: At quis jam post Lansbergij & Hortensi sui fata, quos mortuos audio, observationes curat? Aut num ipsi dummodo vivi dummodo observantes, tale phænomenon fateri vellent, Tabulas suas tot encomiis gloriosas miserrimæ falsitatis arguiturum.

Casellis Hasliæ cœpit Eclipsi hora 3 33': Sol occidit hora 3 55' Dii faxint, ut D. Moglingus animadversam hanc Veneris coniunctionem, vel Telescopio, vel saltem arctiore Tubi illius ingentis foramine expectet, quam olim Mercurium. Si forte Germaniæ vacabit pro trivialibus hisce majora negligere.

Parisiis, ubi GasSENDUS Mercurium simili ratione in Sole deprehendit & hæc quoque Veneris cum Sole copula paulo etiam diutius, quam apud nos, conspicienda fuit. Cœpit enim primus Veneris supra Solem, ingressus hora 3 6' occasus Solis verus hora 4 8' apparet 4 12'. Ergo ultra horam totam apparuit Venus in Sole; Te vero utrinque beatum GasSENDI, si hic faltem, non minus obsequenter Venerem quam Mercurium inveneris: neque te vel nubes, vel quod de tam industrio Mathematico suspicari nefas) incogitantia deluserit.

Denique in tota fere Italia Gallia & Hispania exhibuit se spectandam Venus in Sole: sed nusquam totius moræ duratione. At

O fortunatos nimium bona si sua norint.

Americanos? Quantas δ Venus divitias regionibus indignis dispendis prodigas? vile pro tantis opibus pretium, è fodinis suis rependunt aurum. Habeat sibi barbaries metalla sua, malorum irritamenta, quibus quam felices careremus? Nimium reposcunt rudes populi, dum Cœlestia nobis eripiunt, quibus nec ipsi sciunt uti. Te autem O Venus liceat hac saltem querela abeuntem prosequi.

Quid fugis ab formosa tua? quid diva negatos
Europe vultus, visu dignissima condis?
Hei mibi! divitias populo quid spargis in isto,
Ettanta ingrata, perdis spectacula terrâ?
Quo properas infana? redi, tam barbara tellus
Hospitium tenera nescit præbere puella.
Hic potius remane: tuos hac floribus ornas
Terratoros: requiesce, novo lasata labore
Mollia secura ponantur corpora lecto.
Sed fugit heu miseris! raptam civilibus oris
Horrida barbaries amplexibus implicat uncis
Eternum fugis hinc, inexorabile Cœlum,
Oscula vix patitur fugientem extrema dedisse
Ergo vale formosa, tuo mitescere scepiro
In domi & discant genes: positoque furore
Aspera civiles imitentur pectora mores.
Ultima nos arida sequimur vestigia mente,
Qua licet, & nobis que nunc extrema relinquis,
Iste liber seculis ornat monumenta suarum

Poete-

*Posteritas reducem cernet : spectacula seris
Lustra ter octo dabunt repetenda nepotibus olim.*

NOTE.

Kepler quidem & Jacobo Bartschio socero suo referendum habemus, eorumq; admonitione ad Astronomos de rariis mirisq; phænomenis anni 1631, quod Mercurius tunc in Sole fuerit observatus. At Veneris observationem in Sole, hæc sane, an illa admonitione non potius impediverit, quām promoverit? Nullus enim non Sideralis scientie scrutator, facile fuit persuasus, quemadmodum Mercurius juxta predictionem & Calculum Kepleri in Sole anno 1631 infallibiliter fuit detectus, sic quoq; sine omni dubio, Venerem, cuius numeri adhuc multò absolutores, quām Mercurii, vulgo creduntur, in Solis complexu, eo ipso anno, pariter extitisse; etiam si à nemine Mathematicorum illa ibidem apprehensa fuerit. Hinc adeo securos esse redditos patet, nil quicquam minus existimantes, quām hoc seculo, & quidem paucis quibusdam elapsis annis, Venerem posse denuo in Solem, anno videlicet 1639 reverti; atque ita nullus omnino ad istam Solis Venerisq; celeberrimum congressum, præter W. Crabrium, quem eā de re Horroxius admonuerat, vigiles direxit oculos.

(* Habemus enim Mathematici,) Sic sane est; nisi Uraniæ veri Cultores, plerumquererum Cœlestium quām Terrestrium cupidiores, adeo mirificè se illis sublimibus, atque nunquam satis admirandis Summi Opificis opificis rerum Sideralium oblectarent; quomodo, quæso, tot pertinaces vigilias, totque Herculeos labores din noctuque peragendos, etiam sine omni spe lucri, ne dicam, non raro cum virium facultatumq; hand parvo dispendio, tam avidè susciperent, tamq; constanti animo, absq; omni molestia ac fastidio exantarent?

(** Hæc prope Manchestriam.) Manchestria pariter in Palatinatu Lancastriæ sita est; à Londono 150 mill. angl. Boream versus; ab Eboraco verò 50 occasum versus distans.

*Admonitione
la Kepleri magis
observationem Ve-
neris obsuit,
quam profuit.*

*Quid Astrono-
mos impellat ad
suscipiendos su-
perandoq; tot
immensos Labo-
res, totq; incre-
dibiles molestias.*

*Quot milliari-
bus Manchestria
distet Londini.*

CAPUT IV.

Probatur Maculam à nobis observatam fuisse revera ipsam Venerem.

In Mercurio sub Sole observando non semel decepti sunt Astronomi, etiam peritisimi. Qui in vita Caroli Magni, anno 807, 16 Cal. Aprilis Mercurium in Sole octo dies hæsisse sibi persuadebant: 2. Averrhoes in Ptolomaica paraphrasi, nigricans quiddam se vidisse, meminit, quando Solis & Mercurii copulam numeris inveniebat expositam: vixit is circa annum Christi 1160: 3. Ipse denique Keplerus, Astronomorum, quotquot unquam fuerunt sagacissimus, insigniter tamen delusus est anno à Christo nato 1607 Maii 18 omnes hi, conspectis in Sole Maculis (ignota tunc temporis apparentia) temerè nimis illas pro Mercurio venditarunt. At falsi omnes, ut è circumstantiis patet.

Annon igitur, & nos similiter decepti, Maculam aliquam communem, pro Venere falso jactamus? Evidenter ut dubitent aliqui, tum Cœlestium ultra libellos suis ignari, tum etiam horum eruditissime maxime, & in observando probe exercitati, facile concesserim, prodiderit igitur, priusquam ad observationis enucleationem progrediar, certis indicis comprobare, nil aliud nisi Veneris astrum apparentiae hujus causam extitisse, ne frustra laborem irritum suscepisse videar.

1. Credent fortassis aliqui, neque Venerem, neque Mercurium sub Sole videri posse, utcunque vel maxime ibidem existenter. Nimirum qui stellas omnes proprio lumine splendescere opinantur, nec esse opaca corpora & umbram facientia, ut sunt terra & Luna.

* 2. Alii, qui Tabulis Astronomicis securè fidentes tam eas esse accuratas, quam ab authoribus prædicantur, faciliter sensu credunt, negabunt illam fuisse veram conjunctionis aut horam aut diem, quām nos annotavimus, nec persuaderi sibi sinent, Calculos tanta fiducia de se loquentes, usque adeo decipi posse, ut ultra totum diem aberrent, locumque Veneris duobus aut amplius gradibus vitiose constituant.

3. At maxime turbabuntur, qui Veneris illustre sydus, ipsius etiam Lunæ quadantenus æmulum, serena nocte aliquando contemplati, incredibilem ejus parvitatem à nobis audiunt. Cumque sciant Veneris diametrum in observatione nostra, juxta communem Astronomorum sententiam,

*In observatione
Mercurii, etiam
doctissimi Astro-
nomorum mul-
totes decepti
sunt.
Copern. Revol.
p. I c. 10.
Schickard. Resp.
pag. 9.*

*Horroxius cō-
probat phæno-
menum istud in
Sole, Venerem
omnino fuisse.*

duas quintas diametri Solaris æquare debuisse, hoc est, decies, majorem esse, quam nos invenimus: putabunt idcirco Maculam aliquam ordinariam imperitis illusisse, & à cupiditate cæcis Veneris nomine indignam insigniri.

Ita alii metuant. Mihi, qui omnia fere amicis prædixeram, oculis post ea in Cœlo conspecta, de observationis certitudine satis constat, sed & tacita exultatione mihi ipsi gratulor, quod meam Veneris motuum correctionem, quam utique non tanti prius æstimabam, ita egregie præter omnem spem confirmari videam. Verum ut & aliorum dubitationibus satisfiat, respondeo.

1. Quod lucem nativam attinet, quam stellis erraticis falso attribuunt plurimi, non est cur quisquam ab illa seducatur. Certissimis enim argumentis aliunde etiam petitis, jam satis constat, Planetarum corpora esse summè tenebrosa, Lucemque omnimodam à Sole unico derivari.

(**) 2. Qui Altroniam suam in Ephemeridum supputatione exercent, amplius laudarem, si vellent propriis insuper oculis aliquid confidere, nec aliorum famæ serviliter assensum despondent. Certe nemo, instrumentis Mathematicis ita caret, dummodo vel oculos habeat, & diligenter invigilans, occasionem quamvis captet, ut non posse plurima in Cœlis annotare, quorum cognitio, nullo fere labore adepta, multum tamē conduceret ad emendationem Astronomiæ; Quantum autem peccent Canones vulgares, etiam præstantissimi, etiamsi non aliæ suppeterent, abunde docet hæc unica observatio, cuius fidem nunquam labefactabunt Tabulae, implicatus inter se, quam cum ipsa observatione pugnantes.

3. Qui vero diametri Veneris parvitatem admirantur, alibi discent hujusmodi stuporem in Astronomos convertere, quorum otiosæ opiniones, adeo monstruosas affingunt Planetis diametros. Probabo enim diametrum Veneris non debuisse majorem videri, quam revera invenimus.

Utcunque autem Veneris diameter observata multum defecerit ab ea quantitate, quam vulgo statuunt Astronomi; nihilominus longe superavit. ** Maculas omnes, quas ego unquam observavi. Refert quidem Schickardus, *Maculas Solares interdum ita grandes apparere, ut per quamvis rimam sub opaco represententur; qualem ipse die 6 Julii 1629, in cella vinaria per spiraculum ultra se prodentem, notavist, omnium quas vidit latissimam & nigerrimam cum pedunculo forma pyri.* At rarius tantæ conspiciuntur. Ego adhuc nullam vidi cum hac Veneris umbra comparandam. Vulgares minuti semissem vix æquant, nisi cum plures inter se aggregatae, speciem augent.

Sed ut magnitudine convenient Maculae communes cum hac nostra, nondum tamen illam sibi vindicant aliis ac certioribus indicis ab earum grege discretam. Tres præcipue dissimilitudines notavi, hanc Maculam supra vulgus nobilitantes, quarum duæ probabiles tantum, tertia infallibilis.

1. In figura; Erat huic figura perfectè Sphærica, quam Planetis, & Mundi æternis corporibus ipsique adeo Veneri competere consentaneum est, Maculae autem communes, quæ nihil aliud sunt, nisi fumosæ expirationes, & (ut verbo dicam) nubes Solares, cum constent, materia fluida, & facile dissipabili, rarissime in circuli formam coguntur, sed figura irregulari deformes, nebulas nostras terrestres exacte æmulantur: Illæ etiam Maculae quæ in medio Solis apparent spatiose, & largæ, circa limbos tamen, & declivem Solis oram, in longam figuram compresæ subtilem admodum apparent. Quod argumento est, eas non constare figura Sphærica seu globosa, sed explanata, & subtiliter extensa, ac proinde stellas non esse, ut nonnulli somniant, nulla igitur vulgarium Macularum hæc nostrâ, quæ tam in ipsa Solis circumferentia, quam ab eo longius remota, eandem exactæ figuram Sphæricam eandemque magnitudinem, nihil mutata retinuit.

2. In colore Maculae, ordinariæ, seu Nubes Solares, cum sint materiæ rarioris, nec admodum condensatae, crassi alicuius fumi soliditatem vix superant, idcirco lumen Solis perfectè obtegere non possunt, sed radios illius, paulum debilitatos transmittunt: unde accedit, ut raro, si forte unquam, perfectè nigrescant, sed pallidum quendam colorem, mixtasque cum Luce tenebras exhibeant plerumque, præsertim circa extremas illarum oras, quas medio rariores esse, non est dubium: Hæc autem Veneris umbra exquisitissima nocte ostendebat, se ab opaco aliquo & summe condensato corpore profici sci, qualia sunt Planetarum globi; neque enim crassiores tenebras ostendit Lunæ corpus in Eclipsi Solis, quam in hac Macula (pro magnitudine) observavi.

3. Tertio Denique in motu insignem notavi inter hanc & communes Maculas dissensum. Atque hinc (ut cætera desint) arguento omnium certissimo & infallibili evincitur extraordinariam hanc fuisse, & à Venere sola prognatam. Etenim communes Maculae sunt ipsi Solis superficie contiguæ, cumque illo circumvehuntur unius mensis spatio revolutionem unam perficientes, si modo tam diu earum aliquam durare contigerit. Ob quam causam, initio & fine apparitionis, cum circa declivem Solis oram versantur, ita tardo motu videntur procedere, ut die uno aut altero situm vix varient, propterea quod linea quasi recta ad oculos nostros accedant; vel ab iis recedant. At illa, quam nos observavimus, motu longe velociori, & quidem æquabilis, circa ipsam Solis oram, spatio semihoræ, vigesimal diametri Solis partem dimensa est, id quod vulgarium Macularum nullæ integræ biduo effecit unquam.

Hæc ego prolixius fortè quam res postulat, disputavi: non quod credam, quemvis vere Ma-thema-

Vide cap. 17.

Horroxius Ephemeridū Conditoris redarguit.
Tabularum Astronomicarum deviatio.

Vide cap. 15.

Veneris magnitudo respectu Macularum Solarium.
Respons. ad Gassend. p. 10.

Dissimilitudo inter Venerem & Maculas Solares.

Quid sint Maculae Solares.

Color Macularum.

Motus diversus.

thematum, de iis serio dubitaturum, sed ut ostenderem naturam & proprietatem Macularum, quæ fere quotidie in Solis facie conspiciuntur: Scio enim, nonnullos esse, quorum industria nihil aliud curat, nisi ut veritatem à nostro seculo inventam, obstinata malevolentia per fasque nefasque opprimat, quique idcirco contendunt, Maculas Solares non gigni & dissolui, sed esse Planetas & corpora perennia: ne scilicet corruat Peripateticum illud dogma de Cœli incorruptibilitate, quod adeo fortiter & ultra omnes sophismos oppugnat istæ Maculæ; quæ à stellarum natura tantum absunt, ut in ipso Solis medio cernantur, non raro procreari, augeri, diminui, aut evanescere, ut quilibet ingenuus veri sectator facile ex seipso deprehendet.

*Maculas alii
pro Planetis ha-
bent; sed per-
peram.*

At frustrâ hæc surdis canimus, qui firmissimas demonstrationes Aristoteli suo, aut (verius dicam) insanae ipsorum pertinaciæ post habent; citius ignorantem docueris, quam nolentem. Valent igitur isti desperatae inscitiae viri, suisque se fabellis (per me licet) impune delectent, habent sibi Magistrum suum; cuius sub umbra secure quiescant ignava decora, ego tam altè stertentibus non invideo somnum: Saltem hinc discant Mathematici nostri similem forte observationem aggressuri, quæ ratione Venerem aut Mercurium à Maculis ordinariis discernant.

*Peripateticorum
encomium.*

NOTÆ.

(* Alii, qui Tabulis.) Quod nos de Tabularum Astronomicarum imperfectione in Mercurio diximus, auctor egregie id confirmat: Tabulas nempe quasdam in hæc Veneris Conjunctione amplius duobus gradibus deviase.

(**) Qui Astronomiam suam.) Et ego sic sentio; profectò nisi plurimi plus Ephemerides Canonesque suspicerent, quæm ipsum cœlum, res nostra Cœlestes jam in mulio meliori versarentur statim. Multi adeo tenaces sunt, ne in computandis Planetarum motibus, & extruendis Thematibus unicum perdant scrupulum secundum; cum tamen Planeta ad dena, quindena, vigena, & amplius minuta prima, etiam in aliis à Sole remotioribus locis plerumque exorbitent; quemadmodum supra in Mercurio deduximus. Satius igitur eset, aliquanti plus operam dare ipsis observationibus, iisque studiis, quibus Canones corrigi possent, quæ tantum temporis terere in condendis & per volutandis Ephemeridibus, & vanis in primis illis predictionibus Astrologicis; quæ et si falsis principiis, & erroreis motibus ut plurimum innitantur, tamen verissima esse oracula, directionesque infallibilis, quæ ex illis elicuntur, ut alius Planeta in longitudine aliquot graduum interdum peccet, ab Astrologie addictis creduntur.

*Cur Astrono-
mia hucusque
non magis sit
exculta?*

(***) Maculas omnes quas.) Etiam si Horroxius nullam ejusmodi magnam Solis maculam unius & amplius scrupuli primi observaverit; tamen nonnunquam ejusmodi apparent. Qualem ego vidi in Sole anno 1644, die 10 & 11 Maii, 1' 15'' quoad diametrum. Pariter Scheinerus anno 1625 die 15 & 16 Maii, ferè ejusdem magnitudinis aliam conspexit; sed raro tamen, (ut recte auctor ait) tales deprehenduntur: quippe unicam tantummodo ejusmodi magnam, plurimis annis, memini me observasse; nec Scheinerum præter illam unicam octo annorum spatio annotasse, in Rosa Ursinæ invenio.

*Si Genethliaci
verisima, ut
quidem jactant
prædicere pos-
sunt, utique ex
falsis vera e-
ruere norunt.*

(**** In figura erat.) Ut Venus figuram planè sphæricam exhibuit; sic quoque noster Mercurius omnino in Sole exiit: rotundus, corpus ab omni parte æque crassum densumque offerens. At majores illæ maculae, non solum raro figuræ adeo perfectè sphæricæ, sed etiam nunquam ex materia tam æquabili, aequaliterque crassa constant, cum primis circa limbos, ut Venus & Mercurius apparuerunt. Deinde majores illæ maculae, (quod probè notandum,) peculiarem nucleum in medullio, modo unum, modo plures plerumque possident; qui semper reliquæ materiæ sunt densiores ac obscuriores. Venus vero & Mercurius nequivam tales exhibuerunt nucleos; sed æquabilia, etiam ad ipsum limbum usque, obscurissima corpora. Sic ut certum prorsùs sit, quantum ex Scheinerianis, nostrisque observationibus didicerim, tales maculas pari magnitudine, simili facie, uti Venus, absque nucleis nunquam apparuisse.

*Quantæ ma-
gnitudinis ma-
culæ Solares
interdum con-
spiciantur.*

*Differentia in-
ter Venerem,
Mercurium &
Maculas So-
lares.*

*Majores ma-
culæ nunquam
absque nucleis
apparent,*

(**** At illa quam nos observavimus.) Idem ex nostro Mercurio probatur, qui circa ipsum limbum Solis, æque veloci, quæ circa centrum movebatur; & æquali tempore, æquale itineris spatium con-
siciebat; quod sane, in maculis Solis planè aliter accidit, ut recte asserit Horroxius.

CAPUT V.

Longitudinis & Latitudinis Veneris à Sole visibilis indagatio.

E Xposita jam observationis nuda historia, ejusque veritate comprobata, proxime restat explicare, quid illa Astromiæ profit? Ubi primo initio extruenda est Veneris à centro So-

lis Longitudo, & Latitudo visibilis, cui negotio inseruit centrorum distantiae, & Inclinationis annotatio.

De Solis diametro apparente.

Prius autem, de quantitate apparentis diametri Solis, certos nos esse oportet. Hac enim quasi decempeda usus sum, in mensurando centrorum intervallo. Solis vero diametrum illo tempore apparentem, varie constituunt Astronomi hodierni, fuit enim ex sententia.

| | | |
|------------------------------------|-----|----|
| <i>Kepleri</i> | 31' | 1" |
| <i>Tychonis & Longomontani</i> | 31 | 54 |
| <i>Lansbergii</i> | 35 | 50 |

* Magna sane, & in Astronomia bene constituta nequaquam condonanda discrepantia: Litem hanc alio tempore fusius dirimendam, in praesens omitto, ad alia properans, Solisque diametrum assumo 31' 30" quae fere inter Tychonem & Keplerum mediat: non equidem, quod tanti faciam ignavum illud, *medio tuisimis ibis*, sed, quia tantam nec majorem tum-fuisse, ex propria & multiplici observatione inveni.

Veneris distan-
tia à Centro So-
li.

Circulus vero meus habuit partes 30 tantum; commutandæ sunt igitur distantiae prius positæ, in scrupula prima & secunda, quorum habet Solis diameter 31' 30" quod aurea ut dicitur, proportionum regula effectum exhibet hæc tabella.

| <i>Horæ</i> | <i>Centrorum distantia.</i> |
|-------------|-----------------------------|
| 3 15' | 15' 17" |
| 3 35 | 14 10 |
| 3 45 | 13 39 |

Ex his distantiis una cum Inclinatione 62° 30' constanti, Longitudo, & latitudo Veneris à Centro Solis (*in precedenti figur: G Schemate ad num: I.*) demonstratur verum Veneris in Sole situm, ad primum ingressum repræsentante.

In quo signat, C Centrum Solis V Venerem; E CL Eclipticam Z CN Verticalem Z Zenith: N Nadir: CV Centrorum intervallum DC Differentiam Longitudinis DV Differentiam Latitudinis: Angulus V CN Inclinationem NC L Angulum Parallacticum, seu Inclinationem Eclipticae ad verticalem EC V Inclinationem circuli per centra ad Eclipticam.

Angulus Parallacticus NC L computatur ex doctrina Sphaerica, datis altitudine Culminantis & Solis ab eo distantia una cum Angulo Meridiano, ratione satis nota. Huic additur Inclinatio observata VC N fit ita Angulus V CL cujus complementum ad semicirculum, est Inclinatio circuli per centra ad Eclipticam EC V; Hoc dato, erit, ut radius ad centrorum distantiam CV, ita sinus Anguli EC V ad differentiam Latitudinis DV; & ita sinus complementi ad differentiam Longitudinis DC. Quæ omnia in observationibus tribus, hac ratione sigillatim investigantur.

| | | | |
|--------------------------------|----------------|----------------|----------------|
| <i>Locus Solis versus</i> | 12° 24' | | |
| <i>Ascensio Recta</i> | 250 55 | | |
| <i>Altitudo Äquatoris</i> | 36 25 | | |
| <i>Ex his datur.</i> | | | |
| <i>Horæ</i> | <i>Gr. Mi.</i> | <i>Gr. Mi.</i> | <i>Gr. Mi.</i> |
| <i>Culminans gradus</i> | 3 15 | 3 35 | 3 45 |
| <i>Angulus Meridianus</i> | 27 34 | 2 23 | 4 48 |
| <i>Altitudo Culminantis</i> | 78 37 | 76 54 | 76 4 |
| <i>Distantia ☽ à Culmin.</i> | 15 43 | 16 45 | 17 18 |
| <i>Ergo Angulus NC L</i> | 45 10 | 49 59 | 52 24 |
| <i>Cui additus VC N</i> | 70 56 | 68 53 | 67 55 |
| <i>Dat Angulum VC L</i> | 62 30 | 62 30 | 62 30 |
| <i>Cujus complemento EC V.</i> | 133 26 | 131 23 | 130 25 |
| <i>Respondet</i> | 46 34 | 48 37 | 49 35 |
| <i>De centro distant VC</i> | Mi. Sec. | Mi. Sec. | Mi. Sec. |
| <i>Different. Longitud. DC</i> | 15 7 | 14 10 | 13 39 |
| <i>Different. Latitud. DV</i> | 10 24 | 9 22 | 8 51 |
| | 10 58 | 10 38 | 10 24 |

Inclinatio an-
guli Verticalis
& Eclipticae ob-
servata, non ad-
ed certa est.

Et sic quidem repertæ sunt tres Veneris à Sole distantiae, respectu Longitudinis & Latitudinis.

Verum quia in observatione annotanda confessum est. Inclinationem uno aut altero gradu incertam esse: ne quis igitur existimet, notabilem aliquem errorem in loco Veneris ab ista incertitudine oriri posse, ostendam hic, quam parum illud sit, quod in dubio relinquitur. Finge igitur me gradus 5 in observando errasse, fitque in observatione prima hora: 3 15'

Incl.

| | | | |
|-------------------------------------|-----|-----|--|
| <i>Inclinatio V C N</i> | 67 | 30' | Paterigitur errorem grad. 5 in Inclinatio- |
| <i>Erit ergo Angulus V C L</i> | 138 | 26 | ne Veneris locum nec in Longitudine nec in |
| <i>Cujus complemento E C V</i> | 41 | 34 | Latitudine depravare unico scrupulo primo; |
| <i>Respondet</i> | | | quod sane exiguum est. Confido autem me |
| <i>De centrorum Distantia C V</i> | 15 | 4 | grad. 5 non errasse, loco igitur Veneris visibi- |
| <i>Differencia Longitudinis D C</i> | 11 | 19 | li exakte satis constituto pergo ad cetera. |
| <i>Differencia Latitudinis D V</i> | 10 | 2 | |
| <i>Eset ergo error in</i> | | | |
| <i>Longitudine</i> | 0 | 55 | |
| <i>Latitudine</i> | 0 | 56 | |

NOTE.

(* Magna sanè, & in Astronomia.) *Diameter Solis apparet, secundum nostras observationes, in dissertatione de nativitate Saturni facie sub finem traditas, eo tempore fuit 32' 30". Hinc tres illæ distantia Veneris à centro Solis observata, paulò majores inveniuntur nimisrum*

Centrorum distant.

| | | | |
|-------------|---|-----|---------|
| <i>Hor.</i> | 3 | 15' | 15' 36" |
| | 3 | 35 | 14' 37 |
| | 3 | 45 | 14' 5 |

Ex quibus etiam paulò diversæ differentie Longitudinis D C, & Latitudinis D V emergunt; suppositio codem angulo E C V Horroxii.

| | | | |
|-------------------------------|---------|--------|-------|
| <i>Different. Longit. D C</i> | 10' 43" | 9' 40" | 9' 8" |
| <i>Different. Latit. D V</i> | 11 20 | 10 58 | 10 43 |

Mutatā diametro Solari L. & gitudinem & Latit. Veneris variari

modestate subtilitate omnino cinerei etiam

CAP. VI.

*Loci Veneris visi in verum com-
mutatio.*

Venerem in observatione, non è centro, sed è superficie Telluris spectavi. Idcirco locum duntaxat apparentē, non verum observavi. Locus autem verus, quem maxime intereat habere, non nisi parallaxeon correctione obtinetur: quam commutationem jam inquirō.

Parallaxin Veneris in tanta ad Terram propinquitate, satis quidem notabilem exhibent Astronomorum omnium Hypotheses, quas singulari aliquando tractatu examinandas relinquo, & proprium animi ductum in præsens sequor.

* Ego de hac re multum diuque mecum meditatus, median Solis distantiam invenio semidiame-trorum Terræ saltē 15000; Paradoxon hoc ut cunque videatur, adeo in immensum à vulgata sen-tentia differre, spero tamen me alibi satis firmiter stabiliturum. Nunc ex hac Solis distantia, Vene-ris itidem distantiam & Parallaxin eruamus.

Fuit in observatione nostra secundum Calculum quem infra doceo; Cap. 14.

| | |
|--|--------|
| <i>Intervallo Solis & Terra</i> | 98409 |
| <i>Intervallo Solis & Veneris</i> | 72000 |
| <i>Ergo intervallo Terra & Veneris</i> | 26409 |
| <i>Qualium Media Solis distantia est</i> | 100000 |
| <i>At qualibet habet</i> | 15000 |
| <i>Intervallo Terra & Veneris</i> | 3962 |

Totidem Terra semidiametris distabat à

nobis Venus; cui distantia convenit

** Parallaxis horizontalis Veneris 0' 52"

Unde ab alia Solis parallaxis 0' 14

Dat Veneris à Sole parallaxin 0' 38

Exiguam profecto commutationem ef-ficit tantilla parallaxis, quamque idcirco plane contempnere, parum adferret incom-modi, sed agendum minutias has, quia vacat, obrectatoribus scrupulosis eripiāmus: ne-que enim longior molestia parallaxin appli-care, quam invētigare.

Parallaxin igitur altitudinis Veneris (quæ nihil hic differt ab horizontali ob Solis humilitatem) in longum Latamque diducere notum satis est problema: dato scilicet angulo Parallactico, quem antea in

singulis observationibus computavi, proveniunt (ne nimius videar in tam facilī curiositate) pa-rallaxes sequentes.

Quāto intervallo Solem à Ter-rā abesse putet auctor.

Parallaxis Ve-noris Horizon-talis, ad mentem Horroxii.

Cap. 4.

Hora

| <i>Horā</i> | <i>Longitudinis.</i> | <i>Latitudinis.</i> |
|-------------|----------------------|---------------------|
| 3° 15' | 0° 13" | 0° 36" |
| 3 35 | 0 14 | 0 35 |
| 3 45 | 0 14 | 0 35 |

Venus cum Sole fuit in quadrante signiferi occidentali, Longitudine Solis centro orientalior; Latitudine Meridionalior; Parallaxis ergo visam Longitudinem à Sole minuit, latitudinem auget: ac proinde, ut fiat utraq; vera, illuc addenda est, hic subtrahenda: quo facto, dabitur vera differentia.

| <i>Horā</i> | <i>Longitudinis.</i> | <i>Latitudinis.</i> |
|-------------|----------------------|---------------------|
| 3° 15' | 10° 37" | 10° 22" |
| 3 35 | 9 36 | 10 3 |
| 3 45 | 9 5 | 9 49 |

NOTÆ.

Opinionem
Wendelini ra-
tione distantia
Solis à Terra
in numeris ro-
tundis Horro-
xius amplexus
est.

Non easdem
omnino paral-
laxes invenio.

Parallaxis Ve-
neris horizonta-
lis ex nostrâ
hypothesi.

(* Ego de hâc re multum.) *Horroxius Wendelinum sequitur, qui distantiam Solis à Terra maxi-
mam statuit 14905, minimam verò 14407: præter illum nemo Astronomorum adeò magnum suppo-
nit intervallum. Virum autem illa sententia omnium sit firmissima, ut quidem Horroxius existimat, an
verò potius ex parte distantia ista minuenda à alibi dicendum erit.*

(** Parallaxis horizontalis Veneris.) *Suppositâ eà ipsa Horroxii parallaxi Veneris à Sole, nec non
eodem angulo Parallactico. Non easdem tamen Longitudinis & Latitudinis invenio parallaxes, sed paulo
diversas: nimurum ad*

| <i>Hor.</i> | <i>Longit. Parall.</i> | <i>Latitud. Parall.</i> |
|-------------|------------------------|-------------------------|
| 3 15' | 0° 26" | 0° 27" |
| 3 35 | 0 25 | 0 28 |
| 3 45 | 0 24 | 0 28½ |

Nescio sane, unde auctor in Longitudine minores, & in Latitudine maiores acceperit.

Secundum autem nostram hypothesin, distantiamque Solis à Terrâ perig. 5064 S. T. provenit.

Veneris parallaxis horizontalis

De qua Subir. parallaxis Solis

2' 38"

41

Remanet parallaxis Veneris in Sole

1' 57

Quasi in longum & latum deduciuntur ad

| <i>Hor.</i> | <i>Parall. longitud.</i> | <i>Parall. latitud.</i> |
|-------------|--------------------------|-------------------------|
| 3 15' | 1' 20" | 1' 27" |
| 3 35' | 1 17 | 1 28 |
| 3 45 | 1 15 | 1 29 |

*Ex quibus nunc item, di-
screpantes tam Longitudinis, quam Latitudinis eruntur differentia.*

Hor. *Long. differ.* *Latitud. differ.*
 3 15' 12' 3" 9' 53"
 3 35' 10 57 9 30
 3 45 10 23 9 14
*His nunc exploratis, debuisset quoque Horroxius, dum quævis minima per vestigare, & attendere in
hoc subili Veneris negotio allaborat, refractionem non omnino negligere; aut saltē rationes adferre, quare
iis hand opus habeat. Etenim, ut locus hic Veneris visus parallaxi, sic ad memorem Tychonis, recentiorumque Mathematicorum, etiam refractioni est obnoxius, præsertim Venere circa ipsum horizontem con-
stitutâ. Quare iis adhibitis refractionibus, planè adhuc alias locus Veneris prodibit; cum primis, si more
usitato, pro Venere refractionem Fixarum usurpemus; que circa horizontem in altitudine 3° à Solis pa-
rallaxi 4' 30" differt, eaque minor est. Cum itaque Refractio Solem tempore observationis ad 4' 30"
sublimiorem reddiderit Venere; utique Venus ratione refractionis tot minuris exitit in Solis disco decli-
vier Australis versus; & sic per consequens, tam longitudinis differentia DC (in Schemate ad num: I.
Figur: G) adhuc major; contra vero Latitud. differentia DV adhuc minor reverâ evadat.*

*Itaque calculo rectè posito datis differentia refractionis inter Solem & Venerem 4' 30" & nostrâ pa-
rallaxeos differentiâ 1' 57" emergit Longit. differ. DC 4' 15", & DV Latitud. differ. 4' 50"; at-
que ita Latitudo vera tantum 3' 41" Australis: quæ, neglecta refractione, alias ad 8' 31" excurrit,
juxta Horroxii calculum.*

*Num autem Veneri planè diversa refraction, quam Soli comperat, ex hac quidem observatione hand
liquet: cum auctor Venerem per totum Solis discum incidentem minimè conspexerit. Ego tamen puto,
quoniam ex Mercurio nostro in Sole observato didici; Venerem non minus, ut Mercurium vix aliquam
deprehensibilem exhibuisse refractionem in Sole. Proinde planè aliâ refractione, & quidem vix à Solis
diversâ ui oportet: velut pluribus circa Mercurium disserimus; ita ut hoc loco refractione vix notabili-
ter locum Veneris immutare posit.*

CAPUT VII.

*Inquisitio temporis & loci conjunctionis veræ
Solis & Veneris.*

Venerem in ipso articulo conjunctionis cum centro Solis observare non potui: occidit enim uterque priusquam ad illam veniretur: Quoniam autem à veræ copulæ notitia pendet præcipua observationis utilitas, eam igitur ex illis, quæ datum est observare, sic ostendo. Fuit ex Calculo, motus diurnus.

*Venerem circa
Solis centrum
Horroxius non
observavit.*

| | |
|----------------------------|----------|
| <i>Solis directus</i> | 1° 1' 3" |
| <i>Veneris retrogradus</i> | 36 38 |
| <i>Ergo Veneris à Sole</i> | 1° 37 40 |

Per hunc Veneris à Sole motum diurnum, dividendæ sunt proxime inventæ Longitudinis differentiæ, ut habeatur tempus addendum observationis momento, pro vera conjunctionis hora hoc modo.

| | | | |
|---------------------------------|---------|--------|-------|
| <i>Differentia longitudinis</i> | 10° 37" | 9° 36" | 9° 5" |
| <i>Dat horas</i> | 2 36½ | 2 21½ | 2 14 |
| <i>Adde horam observationis</i> | 3 15 | 3 35 | 3 45 |
| <i>Fit hora conjunctionis</i> | 5 51½ | 5 56½ | 5 59 |

Conjunctionis momentum, quod ex omnibus observationibus idem exacte provenire debuit, invenitur scrupulis 7½ diversum: quem satis exiguum dissensum Lector æquus facile condonabit: Medium inter extrema tutissime retinetur: erit itaque.

*Quo tempore
Conjunctionis Vene-
ris & Solis ac-
ciderit.*

Conjunctionis limitata, Hora 5 55'.

Pro vera Veneris Longitudine ad hoc momentum computandus est Solis locus: idem enim apparet, vere contrarius, est Veneris locus. Cum ergo sit, ex Calculo meo.

| | |
|---------------------------|-------------|
| <i>Locus Solis versus</i> | 12° 29' 35" |
| <i>Erit Veneris locus</i> | 12 29 35 |

Hæc pro Longitudine; Quoniam autem locus Veneris absolute tandem cognoscitur, cum & de Latitudine constat, hanc quoque jam investigare oportet ad horam conjunctionis.

Latitudinis Venereæ variatio diurna assumitur ex Calculo, scrup: 15' 40". Et quia Latitudo fuit Austrina circa nodum Boreum, idcirco decrescebat, quod etiam observatio colligit. Dividenda igitur Latitudinis variatio diurna, per horas & scrupula, quibus vera Conjunctionis sequetur observationem, quotiens addenda Latitudini observatae ad hunc modum.

| | | | |
|------------------------------|--------|--------|--------|
| <i>Horis</i> | 2° 40' | 2° 20' | 2° 10' |
| <i>Decrescit Latitudo</i> | 1' 44" | 1' 31" | 1' 25" |
| <i>Latitudo observata</i> | 10 22 | 10 3 | 9 49 |
| <i>Ergo ad horam Copulae</i> | 8 38 | 8 32 | 8 24 |

Disserit observatio prima ab tertia scrup: 0' 14" quod nullius est momenti. Sin medio, ut ante, incedamus, erit ad horam Copulae limitata.

Veneris Latitudo Austrina 8' 31"

NOTE.

| | | | |
|--|----------|-----------|----------|
| <i>At nostra different. Longitud.</i> | 0 12' 3" | 0 10' 57" | 0 10' 23 |
| <i>Dat hor.</i> | 2 57 33 | 2 41 27 | 2 33 5 |
| <i>Adde horam observat.</i> | 3 15 0 | 3 35 0 | 3 45 0 |
| <i>Provenit hora Conjunctionis.</i> | 6 12 33 | 6 16 27 | 6 18 5 |
| <i>Sic ne Conjunctionis limitata prodeat Hor. 6 15' vesp. scilicet tardius quam Horroxio, secundum nempe nostram parallaxin Veneris à Sole 1' 57".</i> | | | |

Ex tempore igitur limitata Conjunctionis Hor. 6 15' invenitur Veneris locus juxta

| | |
|----------------------------|------------|
| <i>Si. Gr. Min. Sec.</i> | |
| <i>Tabulas Rudolphinas</i> | 8 12 29 28 |
| <i>Philolaicas</i> | 8 12 30 4 |

Pro Latitudine Veneris ex nostr. hypothesi.

*Tempus cor-
rectum Con-
junctionis; &
verus locus
Veneris ex no-
strâ hypothesi.*

VENUS

| | Hor. | Min. | Sec. | Hor. | Min. | Sec. | Hor. | Min. | Sec. |
|--|------|------|------|------|------|------|------|------|--------|
| Decrescit igitur latitud. | 2 | 57 | 33 | 2 | 41 | 27 | 2 | 33 | 5 |
| Latitudo observ. | 2 | 3 | | 1 | 45 | | 1 | 39 | |
| Ergo latitud. temp. & | 9 | 53 | | 9 | 30 | | 9 | 14 | |
| Quæ Latitudo Veneris aliquantò minor est quam Horroxio, etiam si intermedium retineamus 7° 45' Austr. | 7 | 50 | | 7 | 45 | | 7 | 35 | Austr. |

CAPUT VIII.

Demonstratio Nodi Veneris.

Multum erit ad Astronomiæ correctionem, locum Nodi Veneris ostendi: ut igitur hunc è prius inventis demonstrè, sit (*in Figur: præcedenti G p. 117 Schem: ad num: 2*) S Sol T Terra V Venus: E N Eclipticæ portio, O V N orbis Veneris pars; N Nodus Boreus: E N V Inclinatio orbitæ Veneris ad Eclipticam, quam è Keplero assumo gr. 3. 22'; E T V Latitudinis Veneræ Angulus in Terra apparens scr. 8° 31" ex observatione; S E Solis & Veneris intervallum TE Terræ & Veneris intervallum. Ex his E N distantia Nodi loco Conjunctionis sic computatur.

| | | | | | | | | | |
|---------|------------------------------------|--|--|--|--|--|--|-------|----|
| I. | In Triangulo plano T E V | | | | | | | | |
| | Datur Angulus T E V rectus | | | | | | | | |
| | Cum Angulo E T V | | | | | | | 8 | 31 |
| Cap. 6. | Et latere T E | | | | | | | 26409 | |
| Cap. 5. | Ergo latus E V | | | | | | | | 65 |
| | 2. In Triangulo plano S E V | | | | | | | | |
| | Datur angulus S E V rectus | | | | | | | | |
| Cap. 5. | Et latus S E | | | | | | | 72000 | |
| | Cum latere E V | | | | | | | | 65 |
| | Ergo Angulus E S V (seu arcus E V) | | | | | | | 3 | 7 |
| | 3. In Triangulo Sphericō N E V | | | | | | | | |
| | Datur angulus rectus ad E | | | | | | | | |
| | Arcus E V | | | | | | | 3 | 7 |
| | Et angulus E N V | | | | | | | 3 | 22 |
| | Ergo arcus N E | | | | | | | 53 | 10 |
| | Addatur huic locus copula | | | | | | | II | 12 |
| | Fit longitudo Nodi | | | | | | | 29 | 35 |
| | * Est autem Nodus Veneris juxta | | | | | | | II | 13 |
| | Keplerum | | | | | | | 31 | 13 |
| | Longomontanum | | | | | | | II | 14 |
| | Lansbergium | | | | | | | 32 | 6 |
| | | | | | | | | II | 11 |
| | | | | | | | | 56 | 4 |

Deplorandum hoc inter tantos Astronomos disfidium, sine stupore non possum præterire: neque enim levis est effectus, tam enormis discrepantia: sed quæ Latitudinem Veneris in hoc situ, dimidio ferè gradu commutat: Et quamvis alibi in remotioribus distantiis, non sit adeo sensibilis dissensus, nusquam tamen ita evanescit, ut non graviter maculet Astronomos nostros tam foede errantes; eo magis culpandos, quod ex aliis jam extantibus observationibus, seipso multo proprius possent componere; Maxime culpam patitur Lansbergius, immerita jactantia crimen augens; nec multo excusabilius peccat Longomontanus, frustra hic Tychonis sui observata possidens; omnium vero minime deviat, hic ut ubique fælicissimi ingenii Keplerus.

NOTE.

Horroxius angulum inclinacionis Orbite Veneris & Eclipticae E N V (*in Figura G Schem: ad num: 2*) ex Keplero supponat 3° 22', quem ex observatione merito prius elicere debuisse: sicut fecimus in Observatione Mercurii pag. 77; Verum auctor ex istis tribus distantiis, sibi invicem adeo vicinis (cum per semihorulam tantum Venerem viderit) angulum illum eruere hand potuit.

(Est)

| | |
|---|--------------------------|
| (* Est autem nodus Veneris.) Juxta Tabulas vero Philolaicas Nodus | |
| invenitur in | 14° 27' 12" II; sicut |
| ha Philolaica circa Nodium | I 4 27 in excessu |
| Danica | I 9 21 in excessu |
| Lansbergiana | I 26 41 in defectu |
| Rudolphina | 8 28 in excessu peccant. |

Discrepancia
Tabularum in
Nodo Veneris.

CAPUT IX.

Eclipsis hujus Venereæ initium, medium
& finem ostendere.

Veræ Conjunctionis horam respectu Eclipticæ, ante. Atqui illa non fuit medium hujus Eclipsis, nec in illa proxima centrorum distantia, nonnullis forte jucundum erit, utcunque minus habeat utilitatis, medium verum, una cum initio ac fine tam insolite & mirabilis Eclipsis assignari. His ut satisfiat, scribatur hujusmodi figura: (*qualis in precedenti figura G Schema: ad num: 3*) & in ea signet C Centrum Solis; N Nodum Boreum. E C N Eclipticam; I N orbem Veneris; I initium defectus, M Medium, F finem, V veram Conjunctionem respectu Eclipticæ. CV Latitudinem Veneris in vera Conjunctione CM centrorum minimam distantiam in medio Eclipsi CN distantiam Nodi à loco veræ copulæ ENI Inclinationem visibilem orbis Veneris ad Eclipticam: Ex his M I tum IMF incidentiae scrupula sic computantur.

1. In Triangulo V C N

| | Gr. | Min. | Sec. |
|----------------------------|-----|------|------|
| Datur angulus V C N rectus | 0 | 53 | 10 |
| Latus C N (ex capite 8) | 8 | 31 | |
| Latus C V (ex capite 7) | 9 | 6 | 0 |
| Ergo Angulus C N V | | | |

Et huic aequalis est V C M, ubi

| | Gr. | Min. | Sec. |
|------------------------------------|-----|------|------|
| Datur insuper rectus Angulus V M C | 3 | 31 | |
| Cum Latere C V | 1 | 21 | |
| Ergo Latus V M | 3 | 24 | |
| Et Latus C M | | | |

2. Mores Diurni Veneris à Sole, quem ante usurpavi minor

est quam in orbe proprio.

| Hunc ut inquiramus, in Triangulo V C N | Gr. | Min. | Sec. |
|--|-----|------|------|
| Datur angulus rectus V C N | 1 | 37 | 40 |
| Diurnus in Ecliptica C N | 9 | 6 | 0 |
| Cum angulo C N V | 1 | 38 | 55 |
| Ergo Diurnus in Orbe suo V N | 1 | 21 | |
| Per hunc dividatur V M | 19 | 30 | |
| Provenient scrupula horaria | 5 | 55 | 0 |
| Addenda vera Conjunctionis momento | 6 | 14 | 30 |
| Ut si sit medium Eclipsi | | | |

3. Pro scrupulis Incidentie in Triangulo I M C

| Datur angulus ad M rectus | 8 | 24 |
|--|----|----|
| Cum Latere C M | 16 | 23 |
| Et summa semidiam: Solis & Veneris C I | 14 | 4 |
| Ergo scrupula Incidentie I M | 38 | 55 |
| Divisa in Diurnum | 25 | 0 |
| Dant tempus Incidentie, Horas | | |

Similiter per differentiam semidiametrorum computantur.

ut in Eclipsi Luna totali,

| Scrupula Mores dimidie | 12 | 34 |
|------------------------|----|----|
| Tempus dimidia Mores | 3 | 3 |
| Erit ergo | 2 | 49 |
| Primus ingressus | 3 | 11 |
| Ingressus totalis | 6 | 14 |
| Medium | 9 | 17 |
| Primus egressus | 9 | 39 |
| Egressus totalis | 30 | |

Media Eclipsi.

Primus Veneris
in Solem ingre-
sus.

NOTÆ

V E N U S
N O T A E.

Potuisse pari negotio etiam ad nostrum tempus Conjunctionis Hor 6 15', initium & finem hujus Eclipseos deducere; sed nolui Te multo Calculo onerare. Si hec nostra alicui arrident, haud magno negotio ea omnia ipsemet investigare poterit. Interea, cum nostra Conjunction 20' circ. tardius acciderit, facile colligitur, etiam ingressum & egressum Veneris ex Sole tot propemodum minus serius contigisse; sic ut centro suo subingressa sit Solem horâ 3 20' pomerid.; atque rursus egressa, eodem scilicet centro, horâ 9 42' circ. vesp.

C A P U T X.

De Astronomorum Calculis ad præmisæ examinandis.

Hæc observatio non leves laboranti Astronomiæ fert suppeditias.

Quinam sint præcipui Tabulariū conditores?

Quisnam motū Veneris accuratiū exploraverit?

Quicquid ad corrigendum Veneris motum contulerit hæc observatio, jam explicatum est. Experiamur proxime, quomodo cum Astronomorum Calculis convenient, quæ ab ea deducita sunt, ubi (non dubito) patebit; quam necessarias ferat Astronomiæ laboranti suppetias hæc observatio, cum innotuerit, quanto Intervallo, Astronomi etiam præstantissimi, non solum inter se, sed & à veritate disentiant.

Quatuor præcipue sunt Astronomi, quorum de Tabulis computantur hodie Ephemerides, & de quorum præstantia nondum omnibus convenient, quos idcirco libet hic sigillatim examinare.

1. Copernicus, qui Novas (seu potius renovatas) Hypotheses, motuumque syderum leges sex Revolutionum Libris complexus est: unde Postea Tabulas Prutenicas construxit Erasmus Reinholdus. Et ex his Ephemerides supputarunt Origanus, Maginus, & alii, quæ adhuc durant, & à Prognostis nostris præcipuae teruntur: Etsi jam minus sit in pretio Calculus Prutenicus.

2. Tychonis Brahe discipulus, & inventorum quasi hæres C. Longomontanus: qui in Astronomia sua Danica Mägistro vestigiis fideliter satis insistens, quæ Tycho morte præventus absolvere non potuit, ad umbilicum perducit.

3. Ingeniosissimus I. Keplerus, olim Tychoni adjunctus Calculi minister; postea subtribus Cæsaribus Mathematicus. Astronomiam hic novam, eamque verissimam aliis prius scriptis eruditæ prælusam, tandem editis Tabulis Rudolphinis, fæliciter absolvit.

4. Denique omnium ultimus P. Lansbergius, qui summa cum animi confidentia, despectis antecesorum conatibus, Tabulas suas Motuum Cælestium Perpetuas, tam ipsius, quam aliorum laudibus ad satietatem oneratas, in aliarum loco substituere laborat.

Horum quatuor Calculos placet hic apponere, ut videatur, quisnam eorum, secretos Veneris recessus perspicacissime deprehenderit, & cui tutissime alibi fidere possumus: Aptissima enim ad eam rem est hæc observationio. Nam utcunque in maximis à Sole digressionibus, mediocriter sufficerre poterit Calculus alias admodum erroneus; arctius tamen premitur in conjunctione Solis inferiore, & nisi firmissima cohæreat compagine, facile prodit fatiscentes rimas, minimosque errores difficulter sub Sole tegit: Accidit etiam (nescio quo fato) ut quicquid in Astronomorum Hypothesibus peccatum sit ulpiam, in hoc loco maxime se ostendat: conglomeratis hic in unum erroribus, nec (ut interdum evénit) mutuo se tollentibus.

Contentus autem ero, Calculum solum è Tabulis eorum tradere; nec Geometrica Hypothesium delineatione, & supervacanea Triangulorum computatione, me ipsum aut Lectores lasabo: neque enim tanta subtilitate opus est, ad longe crassius peccantes redargendum, neque sumptuoso circulorum apparatu, aut Hypothesium in ipsa forma plerumque fallarum descriptione, chartam vexandam censeo.

Agite igitur florentissimi nostræ ætatis Astronomi: Ecce hic vobis palmam nobilem, quam, qui fæliciter captaverit, illi Helena quavis pulchriorem despondet Venus Uraniam.

N O T A E.

Ex unicâ obseruatione Planetarū motū neutiquam debite refutantur.

Relè ait Horroxius, hanc observationem plurimum conferre ad corrigendum Veneris motum; interim tamen si fundiū circa Venerem omnia explorari debeant, necesse, ut plures, alio tempore, in diversis

diversis à Sole distantiis habite observationes conquirantur; tunc dubium nullum est, quineo pæcto Venus rigidioribus legibus subjiciatur.

(Quatuor præcipue sunt.) Eo quidem tempore quo Horroxius, anno scilicet 1640, hunc libellum conscripsit quatuor tantum fuerunt Tabularum Conditores; sed paulo post anno 1645, quintus Celebrimus Ismael Bullialdus accedit; ex cuius Tabulis Philolaicis, simul Conjunctionem hanc Veneris cum Sole supputatam cap. 14 exhibere propositum: quò patet, quomodo haec cum Cælo convenient, num propius, an longius quam Rudolphinae accedunt vel deficiunt.

Quot sint præcipui Tabularum, hoc tempore Concinatores.

CAPUT XI.

Calculus Copernici.

A viro incomparabili N: Copernico exordiar merito, haeroicæ (ut appellat Gellibrandus noster) Terræ motus Hypothesis resuscitatore felicissimo: quem illa in parte secuti sunt haec & prœcul dubio sequentur, omnes Astronomiam penitus coleentes. Sublimam hanc Philosophiam & Christiano viro dignissimam diu contemplatus, puerile istud ethnici Ptolomæi figmentum, sic sum detestatus.

Quid Ptolomee, tuis inclusum finibus orbem,
Divinum contendis opus? Quid Machinatum?
Parva patrem jaætat? Cur hac angustia dextram?
Vendicat eternam? Talise Jupiter aula?
Jaætat? & hinc trepidis miscet sua fulmina Terris?
O Pulchros sortire Deos, nec pralia frustra.
Terrigenum rursus metuentes sava gigantum?
Exiguum hunc certe Jovis incunabula Mundum?
Lusserunt, tenebris, nec inepta crepundia canis:
Et ne maturo perfectum absolveret aeo.
Detinuit Pellex: nimirum hæc Numina vestra
Fingitis: hos vobis pepererunt somnia Divos.
Hos fateor, satis ista decent, satis ampla profecta.
Templa Jovi condis, satie spraq; sydera vestro.
His Cælum regis auspicias? non conqueror ultra.
Quod Terram munis, solidoque adamante recingis:
Scilicet ut castas servent ea mœnia gentes,
Incessi arcentur Divi. Jam Terra quietem
Quam sapienter amat meusq; in sydera ferri,
Impuros horrens tactus, Cælumque prophanum.
Lentus age, & placidum molire per aethera currum
Delie: non tantos vino sopita tumultus
Turba feret. Sternit mensas epulasq; Deorum
Jam titubans puer, & rapida vertigine vietus,
Hei mihi! vix certa miscet sua pocula dextra.
Parce tibi, sapiensque gravem depone laborem,
Sobria dum sanam repeatant tua Numina mentem
Ambrosio fesi instaurent & nectare vires
Solis equi: labor est non contemnendus in unum
Qui rapiat tantosque Deos & sydera gyrum.
Vos, quibus insipidas veterum recitare fabellas
Unica doctrina est, quorum fert pagina putres.
Queque Deos; tantis certatim applaudite nugis.
At te, quem certis volucentem legibus astra
Mirantur superi; cui concita Terra triumphum
Jam didicit socios inter cantare Planetas
Vere Deus, meruit sublimior aula tonantem.
Te proprius nostro spectant mortalia seculo
Lumina, & excelsa discum tua sydera memet.
Frustra perpetuo vexatos verbere savus

Autor Ptolomæi figura detestatur.

Cur à Ptolomæo terra fingatur immobilitas? Iusus Autoris.

Ganymedes.

Respicit ad celerrimum fixarum motum.

Absurdum esse autor innuit Solē celerrimo motu ingens Systema planetarium secum rapuisse.

Melior sententia de motu terræ.

Commodius ter-
ra loco Solis
moveatur.

Ad hortatio ad
amplectendam
hanc sententiam
Copernici.

Cur Copernicus
optimo funda-
mento natus nu-
meris fallat?

Locus Solis
verus.

Locus Veneris
juxta Coperni-
cum.

(Respons. ad
Gasfend. p. 29.)

Auctor Geneth-
liacos deridet,

Accuratio Cal-
culus Pruteni-
cus.

Pungit equos Phœbus, animosque pectora frustra
Frēnat, & in domitos, inter data fata coercet.
Supplet Terra vices, & qui sibi proderit unius
Immerito vetuit las sari sydera cursus
Nam fato cessere suo, quæ nubila cœcis
Incubuere animis, divamque Copernicus arcem
Magnanimus aperit, Divina munera dextre
Huc alacres conferite gradus: mysteria tanta
Discite quos vulgi, purgatos sordibus alti
Ferit amor veri, quos non è tramite recto
Disturbant populi voces, nec mersa tenebris
Corda metus cohibet, veterumque oracula terrent.

At satis erat Copernico, tam nobile fundamentum posuisse: circa structuram deficienti ignoscendum est; observationibus paucis & malefidis ingenium sublime fraudantibus: Neque enim veram motus formam detexit, antiquorum circulis & æqualitati nimium addictus neque, numeros satis accurate posuit; quod ex unica hac observatione patebit, quam sic è Tabulis suis computo meridianorum Frueburgi & nostri differentiam assumens.

Hor. 1° 30'

SOLIS Sex. Gr. Min. Sec.

| | | | | |
|----------------------------------|---|----|----|----|
| Æqualis simplex | 3 | 44 | 14 | 29 |
| Anomalia Æquinoctiorum simplex | 2 | 58 | 40 | 46 |
| Prosthapheresis Centri addenda | 0 | 10 | 53 | |
| Scrupula proportionalia | | 0 | 0 | |
| Anomalia Solis media | 2 | 31 | 53 | 16 |
| Anomalia coquata | 2 | 32 | 4 | 9 |
| Posthapheresis orbis subtrahenda | 0 | 53 | 12 | |
| Ergo simplex Solis verus | 3 | 43 | 21 | 17 |

VENERIS

| | | | | |
|------------------------------------|---|----|----|----|
| Apogeum | 0 | 48 | 20 | 0 |
| Anomalia Centri | 2 | 55 | 54 | 29 |
| Prosthapheresis Centri subtrahenda | 0 | 8 | 43 | |
| Scrupula proportionalia | | 59 | 53 | |
| Longitudo Eccentrica | 3 | 44 | 5 | 46 |
| Anomalia orbis media | 2 | 53 | 48 | 7 |
| Anomalia orbis aquata | 2 | 58 | 56 | 50 |
| Prosthapheresis orbis addenda | 2 | 50 | 20 | |
| Ergo locus Veneris sub fixis | 3 | 46 | 56 | 6 |
| Latitudo Australis | 0 | 21 | 30 | |

In Latitudine minus quidem vitii nec ultra scrupula 13'' at in Longitudine graviter erratum est. Venus enim quæ Soli revera conjugebatur, secundum hunc Calculum distat ab eo 3° 34' 49'': cumque Diurnus Veneris à Sole sit 1° 37' 40' Coiviscent Venus & Sol post dies 2 horas 4' 47''.

Ergo non solum ob Mercurium, miscreatur Schickardus vanitatis ac imperitia Genethliacorum, qui talibus Tabulis quasi certis confisi secure nugantur de sorte natorum. Nec Venus arridet miseria. Heu quale mihi debetur ingenium? qualis sponsa? incertior faveat Mercurius, certior Venus, quam ex hujusmodi Calculis conciliant Astrologi? Aliis, ut video, utendum est armis, quam quæ præbet Schema natalitium, quod tantum ab est, ut mihi mea fata indicet, ut nec novit propria credentur Astrologi in contingentibus, qui necessaria tam profunde ignorant?

Loca Solis & Veneris computavi tantum sub Fixis: quia non nisi ipsorum intervallum hic querimus. Sin Longitudinem ab Æquinoctio vero desideres, adde ad locum sub fixis.

Præcessionem Æquinoctiorum veram 28° 27' 23'' & voti compos eris.

NOTE.

Si ex Tabulis Prutenicis, qua ex Copernico originem discunt, Calculus instituitur, atque omnia pre-
cisè attendantur provenit Verus locus ☽ à 1° * ♀ Sex. Gr. Min. Sec.

| | | | | |
|--------------------------------|----|----|----|----|
| Verus locus ☽ à vero equinoct. | 4 | 11 | 51 | 8 |
| Verus locus ♀ à 1° * ♀ | 3 | 46 | 32 | 10 |
| Verus locus ♀ à vero equinoct. | 4 | 15 | 0 | 13 |
| Distant. ♀ à ☽ in conseq. | 3 | 9 | 5 | |
| Latitudo Australis ♀ | 22 | 30 | | |

Ex qua